DE
ARISTARCHO,
ARISTOPHANIS INTERPRETE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOHPIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS ACADEMIAE FRIDERICIAE
GUILELMIAE RHENANAE

UNA CUM THESIBUS CONTROVERSIS

DIE XIX. MENSIS IUNII ANNI MDCCCL.

PUBLICE DEFENDET

OSCAR GERHARD

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

ADOLPHUS KOCH, STUD. PHILOL.
IOANNES VAHLEN, SEM. PHILOL. SOD. ORD.
CONRADUS NIEMEYER, SEM. PHILOL. SOD. ORD.

BONNAE,

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCL.

PRAEFATIO.

Aristarchi homerica studia a Lehrsio egregie illustrata iam dudum sibi flagitarunt de opera eius aliis poetis adhibita accuratam disquisitionem. Quae quamvis valde alliceret iuvenem ad magnorum virorum exempla studia sua conformaturum, tamen doctrinae copiolae huic operi nullo modo sufficere mihi videbantur. Quapropter in Aristophane poeta subsistendum ratus, ad quem maxime hoc novissimo tempore studiorum meorum ratione ferebar, Aristarcho quid huius poetae debeat interpretatio ordine ac via pertractare malui.

Sed quum scholia Aristophanea huius quaestionis fontem fere unicum diligenter perlustrarem, reliquorum poetae interpretum neminem inveni qui aptius cum Aristarcho comparari possit praeter Euphronium. Quem quum inter Didymum et Herodianum vixisse probata mihi sit Schneideri de font. sch. p. 87 sententia, studiis Aristophanis non intermissis quidem sed docta sedulitate languescentibus novum vigorem attulisse putandus est. Nam comicorum interpretationem peculiarem provinciam sibi delegisse, alios poetas ne attigisse quidem paucis illis locis, in quibus praeter Aristoph. scholia commemoratur optime confirmatur Ath. XI p. 495 C. Phot. p. 165, 11. 383 Tzetzes ad Lycophr. 387. Etym. M. v. ἐνεργμός Hesych. v. λακκοσπέδα; nam Suid. v. κηρύκος schol. Ar. 299. v. Διιτροφής schol. Ar. 498. exscripsit. Itaque operae pretium mihi videbatur Aristarchum et Euphronium tanquam duarum aetatum indolem repraesentantes ita inter se comparare, ut tanto saeculorum spatio intermissa quid profecerit Aristophanea interpretatio non quidem explicaretur, tamen quoad fieri posset paucis lineamentis adumbraretur.

Nam Euphronidem Corinthium vel Sicyonium, quem inter Aristophanis Byzantii magistros refert Suid. T. I p. 328 eundem esse atque nostrum Euphronium, quae fuit Rud. Schmidtii (de Callistr. p. 21) suspicio si linguae usum spectas, haud improbabilis (Bernhardy gr. Littg. II p. 194. Meineck. hist. crit. p. 12. Bergk. comm. de com. ant. p. 374) tamen, ex temporum computatione prorsus reiiciendum est. Cuius de studiorum ratione haec commode se praebet observatio, eum non solum easdem interpretationis partes, quas Aristarchus sustinuisse, verum etiam ab eo derelictas vel negligentius minore successu tractatas esse persecutum. Nam verborum interpretem ostendit schol. Vesp. 606. 1005. 1144. Av. 266. 299. 378. 765. 798. 933. 1379. 1745 criticum schol. Vesp. 696. Av. 1563 res prosodiacas tractantem schol. Vesp. 1086 in proverbiis explicandis occupatum schol. Vesp. 604. In quibus omnibus Aristarchum habet antecessorem; quem tamen doctrinae et acuminis laude longe superavit in rebus historicis et publicis et privatis explicandis velut schol. Plut. 385. 904. Vesp. 675. Av. 873. 997. Ran. 1093. Vesp. 675. Quae omnia talem comparationem fructuosissimam fore suadent. Cui tamen consilio quum spatii huic scribendi generi concessi angustiae obstarent, nunc in solo Aristarcho subsistere, Euphronium in aliud tempus differre placuit, cui etiam reservandum putavi accuratam de notis criticis disputationem, quaestionem post Villoisonum Prolegg. Iliad. p. XIII—XXIII a viris doctis derelictam, ad quam rite persolvendam nonnulla contulit Nauckius Arist. Byz. fragm. p. 15 et 16.

CAPUT I.

De fontibus, e quibus Alexandrinorum studiorum notitia ad nos permanaverit.

Quaestionem de veterum in Aristophanem scholiorum fontibus egregie pertractatam esse constat ab Ottone Schneidero. In cuius tamen libello haud desunt, quae post novissimas Dindorfii et Duebneri curas in scholiis emendandis secernendisque positas ipse auctor retractaret. Alia vel falso conclusa vel confidentius affirmata partim iam a viris doctis refutata partim nobis refutanda sunt, ne sequentis disputationis iustum fundamentum desideretur.

Gravissimam de fontibus scholiorum Aristophaneorum quaestionem maxime tribus subscriptionibus illis e cod. Ven. 474. ab Im. Bekkero prolatis, quarum quae in fine Avium legitur dudum e cod. Leid. publicata erat a Dobraeo, excitatam esse, res est pervulgata. Quibus tamen pro certo fundamento uti iure dubitavit Schneiderus quia utrum ad solas Nubium, Pacis, Avium an ad omnes Aristophanis fabulas pertinuerint non liqueat. Quapropter inquirendum sibi proposuit, quid etiamsi subscriptiones illae non essent servatae ex ipsis scholiis extricari possit, viaque et ratione demonstrandum, Symmachi commentarium Aristophaneum veterum scholiorum fontem fuisse unicum. Quaerenti igitur quid ipsi scholiastae de observationum suarum fontibus memoriae prodiderint prae ceteris ii se praebent loci, praestantissimae doctrinae copia insignes, in quibus commentariorum excitatur memoria. Quorum schol. Plut. 1037 verba: ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως certum est commentarium quendam significare, qui vel unice superstes vel prae ceteris fama et praestantia

longe excellentissimus nullam de vero eius auctore dubitationem relinqueret. Quae vis quum insit in articulo *τῷ* accurate posito, necessario abest a verbis schol. Ven. Pac. 758: *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι* [1]). Restat igitur de illo qualicunque commentario solum testimonium schol. Plut. l. l., quo etiam utitur Schneiderus (p. 18) ut demonstret, eius auctorem non esse Didymum, ad quem propter singularem eius studiorum rationem ultro fertur animus. Quem ut Eupolidei commentarii auctorem ab ipso hypomnematista citatum esse probet, usus est schol. Thesmoph. 162 verbis: *ἀλλαχοῦ δὲ ὁ Δίδυμός φησιν, ἡ μὲν γραφὴ δύναται μένειν, οὐκ ἂν δὲ τούτου τοῦ μελοποιοῦ μέμνηται, πάλιν τὸ αὐτὸ λέγων ὅτι οὐκ ἐπεπόλαζε τὰ μέλη.* [(*ἀλλ'* Schneid.) *Ἀλκαίου τοῦ κιθαρῳδοῦ, οὗ καὶ Εὔπολις ἐν Χρυσῷ Γένει μέμνηται „ὦ 'λκαῖε Σικελιῶτα Πελοποννήσιε". τί δὲ ἐνταῦθα κιθαρῳδοῦ, περὶ ποιητοῦ ὄντος τοῦ λόγου;* Quam Thesmoph. loci retractandi opportunitatem non alium quendam Aristophanis, sed ipsum, qui citatur Eupolideum locum suppeditasse sibi persuasit (p. 17). At Didymus si revera omnes Aristophanis fabulas interpretatus est, id quod ab omnibus concessum esse arbitror, ad istum Daetalensium locum, quem ex Ath. XV p. 694 et ipse attulit Schneiderus: *Ἆισον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος* non potuit non ad illam Aristophanis Byzantii coniecturam recedere [2]). Ad quam refutandam quod ipse monue-

---

1) Quae praecedit in Rav. et Ven. Didymi interpretatio hisce solis continetur verbis: *εἰδωλοποιεῖ τινας ὄρχεις Λαμίας· θῆλυ γάρ. ἐντεῦθεν καὶ Λάμιος ἡ πόλις τῶν Λαιστρυγόνων*, a qua aperte segreganda est, quae in solo Ven. sequitur de Lamia narratiuncula quae teste schol. vesp. 1035 e Duridis Samii Lybicarum libro secundo deprompta in quemlibet alium librum transire potuit, cur autem necessaria visa sit Schneidero p. ad Didymeam interpretationem intelligendam non assequor, cuius verba si ita reddis: *Finguntur* (sc. comice) Lamiae testiculi, nam femina est, ad intellectum si quid video nihil desideratur.

2) Exempla, quae ex Aristophane afferri poterant, ab aliis repeti, neque cum ratione neque cum grammaticorum more pugnat. Luculen-

rat, Alcaeum propter dialectum non ita tritum fuisse Atheniensibus, ut in comoedia notissima quaeque tractante apte commemorari potuerit, id ipsum aliquem abuti posse ad Alcaei mentionem in Daetalensium loco sollicitandam probe perspexit. At non desperavit prompta eius calliditas, qui Alcaei citharoedi cuiusdam ex Eupolideo loco meminerit. Hunc igitur argutius sane quam verius in Daetalensium locum intulit. Quare nulla rationis vel necessitate vel probabilitate adducimur, ut in Thesm. l. l. scholio Didymi Eupolideum commentarium excitari putemus, multo magis cavendum, ne ad Plut. v. 1037 scholio temere attrahatur eius memoria. Itaque certa argumenta plane desunt, quibus evincatur, Didymum non fuisse commentarii illius auctorem.

Neque prosperius cesserunt, quae deinceps de commentariis plurali numero allatis (*ἐν τοῖς ὑπομνήμασι*, vel *ἐν ὑπομνήμασι*) disputata sunt, ut demonstraretur, ea non ab ipsis scholiastis inspecta esse, sed ex hypomnemate illo, cuius memoria Pluti illi scholiastae debetur innotuisse. Nam ut omittam parum sibi constare Schneiderum p. 22 vecordis et male sani hominis esse statuentem eundem librum modo plurali numero modo singulari laudare, id quod eidem paullo infra p. 20 med. iustam offensionem non habere visum sit neque habere potest respicienti singularum fabularum commentarios singillatim saepenumero numerari [1]), diversosque scholiastas eundem librum diverso modo citare non mirum esse, — hoc igitur ut breviter tantum stringam, quid, nisi firmiora accedunt, valent argumenta ex insigni quadam iudicii sobrietate desumpta, quae τοῦ ὑπομνήματος scriptore communis sit cum eo, qui τὰ ὑπομνήματα citaverit? Neque est, cur exile hoc commentandi genus a tanta subsidiorum copia,

tum exemplum habes Demetrii Ixionis schol. Ran. 308, qui ipsorum spectatorum a poeta exagitatorum exempla ex Platonis comici Paedario depromere mavult, quam ex Aristoph. Vesp. v. 75 sq.

1) Cf. Ritschel. bibl. alex. p. 133.

qualia ὑπομνήματα ista excerpentibus suppeditassent, magnopere abhorrere videatur ei, qui ipsum illud ὑπόμνημα doctissimis antiquissimorum interpretum observationibus refertum fuisse sibi persuasit (p. 26). Confitendum igitur est, certa deesse argumenta, quibus demonstretur commentarium singulari modo citatum ex iis hausisse, quorum plurali modo excitatur memoria. De quo unico scholiastarum veterum fonte quid valere possint Eustathii p. 254, 30 Lips. verba: ὡς καὶ ὁ κωμικὸς καὶ ὁ κατ' αὐτὸν ὑπομνηματισμὸς ἐν τῷ Πλούτῳ δηλοῖ prorsus latet, unde si recte concludis Eustathii tempore unicum tantummodo Aristophaneum commentarium fuisse superstitem, nihil tamen de scholiastarum tempore lucramur, quorum antiquissimos Eustathio antiquiores fuisse is concedere debet, quem non fugit, eum ad Od δ, 73 p. 1483 aperte laudasse τοὺς τοῦ κωμικοῦ σχολιαστάς, plerumque incertum manere, ipsumne veterem interpretem an eius sectatores Scholiastas sequutus sit (cf. Schn. p. 30 et quem conferre iubet Hemsterh. ad Pl. p. 153. 187. 188. 340 etc.) Neque puto tam accuratum sibique constantem scriptorem Eustathium haberi posse, ut nunquam ὑπομνηματισμοῦ vel ὑπομνηματιστοῦ nomine scholiastas insigniverit quo in Etym. M. ipsa Aristophanea scholia significari, unum apponam exemplum p. 197, 48 ed. Gaisf., ubi verbis: παρὰ τὸ βίος ἐστὶν ὡς ἐν ὑπομνήματι Ἀριστοφάνους aperte Schol. Arist. ran. 752 excitatur memoria [1]).

De amplitudine commentarii, quam instituit quaestionem inde a pag. 31, hoc loco sane praeterire possumus, quum prorsus ab instituto nostro alienum sit accuratum de Schneideriano libello iudicium exhibere. Hoc tamen monendum est, totum, quo nitatur argumentatio fundamentum vacillare. Quod quum positum sit in locis, in quibus ad alius fabulae

1) Praeterea scholia in Etym. M. ὑπομνήματα audiunt: Iliadis p. 10, 4; 15, 53. 30, 43. 42, 42. 85, 7. 566, 16. et alibi Aesch. Prom. p. 690, 13. Lycophronis p. 76, 57. 164, 26 et alibi.

commentarium remittantur lectores, cur tales citationes ab ipsis scholiastis prorsus alienae esse statuantur, non assequor. Etenim si revera, quod tamen vix concedendum est, scholiastae ipsorum tantummodo utilitati prospexerunt de lectorum commodo securi, multo aptius videtur, ad rem antea tractatam breviter remittere, quam omnes, quascunque potuerunt observationes uno loco colligere. Quodsi, id quod ipse Schneiderus p. 32 et 33 largitur, bis vel ter scholiastae observationum antecedentium memoriam renovaverunt, cur non idem quadragies fecisse putandi sint, non cogitari potest idonea ratio. Neque certius est argumentum ex codicum natura repetitum. Quamquam enim praeter Ravennatem nullum possidemus veterem codicem qui undecim fabulas superstites conplectatur omnes, quid ex eo, quo hunc codicem conscriptum esse constat, tempore concludere licet de eorum conditione, quorum copia primis istis scholiorum conditoribus suppetebat, quos ipse Schneid. §. 6 fin. a secundariis epitomatoribus vel antiquiorum excerptorum diasceuastis accurate secernendos esse statuit [1].

---

1) E locorum in quibus ad observationem in nostris Scholiis non servatam remittimur numero plane eximendum est schol. Lys. 1237, cuius verba, quae in cod. Ven. leguntur: *Τελαμῶνος: Ἀρχή τινος σκολίου „παῖ Τελαμῶνος αἰχμητά“ περὶ οὗ δεδήλωται ἤδη* habent, quo referantur in schol. Ach. eiusdem cod. Ven.: *ἦν δὲ καὶ ἕτερα μέλη τὸ μὲν Ἀδμήτου λεγόμενον τὸ δὲ Τελαμῶνος* De schol. Ach. 106 non refragor Engeri sententiae, quam alicubi in diariis Darmstad. proposuit, ad v. 104 nonnulla excidisse, quo illud pertineat. schol. Ven. Av. 487 verba *τὴν δὲ ἐπὶ κεφαλῆς κίδαριν ἔστι δὲ αὕτη, καθὰ προείπομεν, τιάρα. ἔθος καὶ ἐπευγμένην καὶ προβάλλουσαν εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν, τοῖς δὲ βασιλεῦσιν ὀρθήν* fortasse spectant ad schol. Ven. Nub. 10: *Κρέων δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Κυπριακῶν κορδύλην φησὶ καλεῖσθαι τὸ πρὸς κεφαλῇ προσείλημα, ὃ δὴ παρὰ Ἀθηναίοις καλεῖται κρώβυλον παρὰ δὲ Πέρσαις κιδάριον.* schol. Nub. 253 ... *ἁρμοττόντως δὲ τῶν φιλοσόφων ἐπιγραφει ταύτας εἶναι θεάς, ἐπεί, ὡς ἔφημεν περὶ τὰ οὐράνια μάλιστα ἐπτοήνται οἱ φιλόσοφοι* referendum videtur ad schol. Nub. 228: *Τὰ μετέωρα: Ἐξεῦρον ἀκριβῶς*

Sed non solum ambitum commentarii, verum etiam ordinem, quo sese in eo exceperint fabulae explicatae e talibus locis Schn. certissime definire conatus est §. 13 inde a pag. 13. E quibus tamen si eximuntur, quae vel ab ipso Musuro vel ab aliis recentissimis grammaticis illata sunt, certis indiciis optimorum codicum fide firmatis id tantummodo concludi potest, Equitum fabulam ante Acharnenses, Acharnenses ante Pacem et Vespas, quarum utra praecesserit non liquet, Ranas ante Aves, Ecclesiazusas ante Lysistratam in vetere illo commentario fuisse collocatas [1]. Qui ordo quum ad

---

τὰ ὑψηλὰ καὶ μετέωρα πράγματα· περὶ τούτων γὰρ τοῖς φιλοσόφοις τὰ ζητήματα schol. equ. 449 spectare videtur ad schol. Vesp. 592, in quo nonnulla excidisse suspicor. Restant schol. Vesp. 106. 579 equ. 449. 450. Ach. 925. Plut. 720, quae quo spectent ne ipse quidem indagare potui; factum esse, ut ex superstitum fabularum scholiis nonnulla aut temporum iniuria aut hominum negligentia evanuerint ipsum Schneiderum (p. 35.) docuit exemplum luculentissimum in schol. Lys. 801. cfl. Eccl. 303. Item aliorum locorum, in quibus se de eadem re iam supra exposuisse affirmant scholiastae et quorum accuratum indicem Schneid. p. 36 sqq. confecit non pauci sunt, quos ex hoc numero removeas, quos breviter stringemus. In schol. Equ. 1016. 1099. Vesp. 1203 Pl. 351. Av. 78 verba, quibus antecedentis observationis renovatur memoria, Aldinae editori debentur. Ad eundem M. Musurum Cretensem referendum, quae schol. equ. 954. addit Aldina: Ἄλλως θρῖα τὰ φύλλα — περὶ δὲ θρίου καὶ ἐν Βατράχοις εἴρηται οὐ τῷ ἀλλ' ἀπολέσαιμ'. ἐν ἐγκ. θ. δ., quae tacita inutili de loco ran. appendice e Suida illata esse, Suidam autem ex schol. Ach. 1100 sumpsisse monstravit Dindorf; adde schol. vesp. 1203, ubi verba φανερὸν ἐκ τῶν εἰς Βατράχους absunt ab omnibus codd. idem cadit in schol. Ran. 1246, schol. Vesp. 832 1195 verba ἐν τῷ — λέξεσι aeque absunt a Rav. et a Ven. accedunt huius generis nonnulla, quae e deterioribus tantummodo codicibus manarunt, velut schol. Vesp. 1195 quae schol. Ach. 1182 excitant memoriam. schol. Vesp. 946 non opus est verba ἐν Ἱππεῦσι δὲ εἴρηται καὶ αὐτοῦ ad commentarium referantur, possunt etiam ad ipsius poetae verba trahi.

1) Id efficitur e schol. Ach. 359 Pav. 950. Vesp. 496. 1206 Av.

Aldinae editionis oeconomiam proxime accedat, non temere Engerus [1]) inde conclusisse videtur hunc citandi morem ad recentiorem quendam grammaticum referendum esse, cuius scholia fabularum ordine servato Musurus exscripserit. Qui quod plane abest a Thesmoph. scholiis, accurate exhibentibus eorum scholiorum formam, quae intacta adhuc a diasceuastae manu in codicibus suis Musurus repererit, haud mediocriter augetur huius opinionis probabilitas, non imminuta solo v. 389, in quo infinitivi non tam excerpentis manum, quam brevitatem quandam et negligentiam prodere videntur. schol. Thesm. 840 certissima est Dindorfii emendatio: πολλάκις εἶπεν ὅτι προβάλλει ὁ Ὁμηρικὸς ἐν τῷ πρὸς Πολύβιον προτατικῷ τίς ἡ Ὑπερβόλου μήτηρ κτλ. ad quam defendendam schol. Ven. vesp. 1281 meminisse sufficiet.

Quodsi ex iis quae infra disputata sunt apparuit, valde infirma esse argumenta, quibus quae docta et antiqua sunt in scholiis Aristophanis ea omnia ex uno commentario fluxisse Schneiderus demonstrare conatus est, multa facilius ea diluentur, quae de Symmacho huius commentarii auctore protulit p. 57 sqq. Hoc statim valde mireris cum Dindorfio [2]) omnium locorum, qui Symmachum doctum et diligentem Aristophanis interpretem fuisse testantur, nullum reperiri, qui Symmachi et commentarii illius memoriam ita coniunctam exhibeat, ut arctiore quodam vinculo eos inter se cohaerere cuivis manifestum sit; quam difficultatem sententiae suae obstantem ne verbo quidem tetigit Schneiderus. Itaque Dindorfio l. l. prorsus assentior simplici ὑπομνήματος vel ὑπομνημάτων nomine eas significari interpretationum collectiones, quas auctorum nominibus carentes scholiastae in scholiorum farragine condenda adhibuerint. — Atque quanquam con-

---

1379. Lys. 801, quorum Ach. 349 Lys. 801 Ravennatis, reliqua solius Veneti fide confirmantur.

1) In recensione diariis Darmstadiensibus anni 1841. inserta.

2) Praef. ad schol. edit. Paris. p. VIII.

cedamus oportet, scholiastas adiutos fuisse Symmacheo quodum commentario, qui veterum grammaticorum interpretamenta excerpta vel in breviorem summam contracta referret, unus tamen restat, cuius observationes ex uno Symmachi libro ad scholiastas pervenisse quovis pignore negaverim Didymus. Cuius quum hoc esset praeclarum meritum, ut quae veterum grammaticorum illi principes ad poetas maxime explicandos contulissent, ea omnia colligeret digereret et ad communem hominum doctorum usum aptiora redderet, tanta librorum multitudine hanc industriam comprobavit, quantum conscripsisse praeter eum de nemine veterum proditum est. Quibus omnibus exstinctis ne unum quidem ea tempora attigisse, quibus prima scholiorum Aristophaneorum fundamenta iacta esse constat, quis credere potest? Quodsi tamen credibile esse statuas reputes quaeso etiam Didymi libris non defuisse epitomatorum diligentiam quorum laboriosa sedulitate secundum et tertium post Christum saeculum feracissimum erat, qualem fuisse Alexionem ex Etym. Gud. p. 124, 3 notum, ubi qui citatur auctor *τῆς ἐπιτομῆς τοῦ Διδύμου συμμίκτων*, eundem esse puto, cuius in eodem Etym. Gud. s. v. *βινεῖν* memoriae excitatur. Itaque haud improbabiliter aliquis statuere possit *τῶν Διδύμου κωμικῶν ἐπιτομὴν* quandam praeter Symmachi commentarium inspicere etiam Scholiastis nostris licuisse. Atque Didymum ut e grammaticorum non aliunde nisi ex Symmacho scholiastis notorum numero eximamus maxime iis locis adducimur quos §§. 19 et 20 ipse Schneiderus composuit scilicet ut ipse ad se refellendum arma praebeat. Quorum quum duplex genus distinguendum sit, alterum eorum, in quibus ipsa loquendi formula integram narrationem excerpentis propria Didymum ipsis scholiastis ad manus fuisse suadeat, alterum eos comprehendens, in quibus praemissa Symmacheae Didymi observatio Didymeum commentarium a scholiastis pertractatum significare videtur, quumque locorum, in quibus Didymi et Symmachi coniuncta excitatur memoria longe maiorem numerum ita, ut descripsimus

comparatum reperiamus, repudiatis tortuosis argutandi ambagibus incorruptoque iudicio illa testimonia perscrutantes, non Scholiastarum alienis opibus sese ostentantium fraudem, — cuius cur aliis locis obliti essent non intelligeretur, — sed diversorum interpretamenta consarcinantis manum certissime agnoscemus. Itaque habere videor, cur admirer Bernhardyi iudicium (gr. Litt.-Gesch. II p. 997.): „Dem Symmachus verdankt man in der That die werthvollsten Notizen und eine kritische Mittheilung der wichtigsten Ansichten; doch nichts berechtigt zu der Annahme, dass sein Commentar die einzige Quelle sei“ et paullo infra: „Im Uebrigen gingen hier Didymus und Symmachus, deren Commentare sich ziemlich die Wage halten mochten neben einander; jener ist noch etlichemal aus gewissen Verweisungen zu erkennen; dieser wird mindestens von Herod. περὶ μον. λεξ. p. 39 erwähnt“.

Quam de fontibus, ex quibus veterum Alexandrinorum grammaticorum observationes scholiastae hauserint, sententiam optime confirmat disertum cod. Ven. subscriptionum testimonium, si quidem iis, quae hactenus contra Schneiderum disputata sunt effectum est, ut ista ἄλλων τινῶν, quos addit Nub. subscriptio commemoratione ad antiquiores potius, quam recentiores Symmacho interpretes, id quod Schneidero p. 122 placuit, animus feratur. Omnium autem rectissime Phaini grammatici duarum fabularum subscriptionibus optime confirmatam retinuit Dindorfius [1]). Quem ut grammaticum satis recentem nec doctum probe nec ab antiquis in Aristophanem commentariis valde instructum fuisse statuat, Schneiderus perversa eius ad equ. 963 interpretatione commotus est. Sed ne a grammaticis longe vetustioribus doctioribusque similia vel etiam graviora in interpretando poeta peccata aliena fuisse putentur aptissimum attulit Aristophanis Byzantii [2]) exem-

1) Edit. Paris. p. VI et VII.

2) De quo cf. Hesych. I p. 499. Herm. ad Nub. l. l. Nauck Aristoph. Byz. fragm. p. 214.

plum, cui addi possunt plane gemella Lycophronis [1]) ipsiusque Aristarchi [2]) commenta.

Phainus autem qualis revera fuerit grammaticus, quo acumine quanta doctrinae copia ut plenius cognoscatur et interpretationum eius, quarum notitiam habemus paucitate [3]) et Equitum fabulae scholiorum, in quibus solis nomen eius excitatur, singulari natura vetatur, a diversis veterum interpretum sententiis diiudicandis valde remota; ita ut ex iis honorificam de eius studiis sententiam tibi confirmare nequeas. Attamen non est, cur e veterum scholiorum fontium numero excludatur.

Aristarchi igitur ceterorumque Alexandrinorum studia, quorum pauca in scholiis nostris servata vestigia scholiastis unice eorum scriptis innotuisse videntur, qui in antiquis observationibus colligendis digerendis excerpendis assiduo studio occupati erant. Quorum agmen omnium consensu ducit Didymus, cuius scripta vel integra vel ab epitomatoribus in breviorem summam contracta ad scholiastarum aetatem pervenerunt. Cum Didymo arcte coniungenda est Euphronii [4]) memoria, cuius fere idem fuisse veterum colligendarum interpretationum consilium ex iis scholiis apparet, quae eius nomen cum antiquissimorum grammaticorum memoria arctissime coniunctum exhibeant. Cui studiorum rationi optime convenire puto, quod Didymo recentiorem Athenaeo (propter XI p. 495 C.) antiquiorem eum fuisse probabiliter statuit Schneid. p. 87. Longe plurimum autem Symmachi commentario Aristophaneo scholiastas debere, antiquae et exquisitae doctrinae

---

1) Schol. vesp. 704. Pac. 199. 702.

2) Schol. equ. 755, ran. 1422.

3) Citatur quinquies in Equ. scholl. v. 963. 1129. 1150. 1220. 1256.

4) Cum Callistrato citatur schol. vesp. 604. 675. Av. 933. 997. 1378. cum Callimacho avv. 756. cum Didymo Av. 299. cum Hellanico et Dicaearcho Av. 873. 1403 etc.

documentis refertissimo, hoc ut penitus perspiciamus Schneid. commentationis insigne est meritum.

CAPUT II.

Aristophaneorum studiorum ante Aristarchum quae fuerit ratio breviter enarratur.

Aristarchus quid ipse praestiterit Aristophanis comici interpres diiudicari non potest, nisi qua conditione exceperit hanc studiorum partem antea exploratum habemus [1].

Iam inde ab Aristotelis tempore nullam fere litterarum partem doctorum hominum ingenia magis exercuisse, quam scenicorum poetarum interpretationem, notum est. Quo primum referendi sunt ipsius Aristotelis libri *νῖκαι Διονυσιακαί* et *διδασκαλίαι* [2] inscripti, quorum uterque unius voluminis finibus circumscriptus in graecorum comicorum historia enarranda versabatur. Cuius libri quae relicta sunt fragmenta ad

---

1) Historiae studiorum Alexandrinorum in poetis comicis occupatorum lineamenta egregie adumbravit Meineck. hist. crit. com. Gr. p. 5 sqq.

2) In didascaliis Aristotelem totam *θεατρικὴν ἱστορίαν* persecutum esse cur contra Wouwerium negaverit Meineck. l. l. p. 5. non perspicio. Nam si in hoc libro, id quod valde credibile videtur, a continua disputandi forma sese abstinens id solum egit, ut veteres didascalias emendatas et illustratas in certum ordinem tabellarii quem dicimus modo componeret, *unius* voluminis angustiis non impediebatur, ut omnes, quae exstarent didascalias colligeret. A cuius tamen libri consilio id prorsus abhorrere puto, quod coniectandi proponit vir acutissimus, in eodem libro de hominibus in antiqua comoedia exagitatis scriptorem egisse. Neque potest tale quid concludere ex Schol. av. 1386, ubi illam de duobus Cinesiis disputationem ab Aristotele eo consilio institutam esse puto, ut personarum tempus recte definitum etiam comoediae, qua exagitantur, tempori definiendo inserviat.

comoediam spectantia composuit Meineck. l. l. Magistrum clarissimum etiam in hoc studiorum genere exceperunt, qui ex eius disciplina prodierunt viri doctissimi Lynceus Lamius (Duridis historici frater), Dicaearchus Messenius [1], Theophrastus Eresius [2], Chamaeleo Heracleota, qui quae ad Aristophanem explicandum contulerint temporum invidia ita evanuerunt ut nominasse eos sufficiat. Item de Eumelo et Cratete, Atheniensi Polemonis in academia successore librorum *περὶ κωμῳδίας* auctoribus conferatur Mein. l. l. p. 8 et 9, quorum maior in rebus quam in verbis explicandis opera collocata fuisse videtur.

Ptolemaeorum aetatis quae fuerit in comoediis tractandis ratio ex ipsis scholiis uberius cognoscitur. Lycophronis Chalcidensis industria ad comoedias in ordinem redigendas adhibita Plautino illo scholio, cuius plenissimam Ritschelio [3] debemus notitiam describitur. Cuius negotii rationes in libris *περὶ κωμῳδίας* quorum memoria ad nos pervenit, eum explicasse probabiliter statuit Meineck. h. cr. p. 10., in quibus tamen etiam de aliis ad comicorum interpretationem spe-

---

1) Magistri vestigia pressisse discipulos testis est Plut. adv. Epic. p. 1096 A: *τις χορὸς — οὕτως ηὔφρανεν Ἐπίκουρον καὶ Μητρόδωρον ὡς Ἀριστοτέλην καὶ Θεόφραστον καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δικαίαρχον οἱ περὶ χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλιῶν καὶ τὰ δι' αὐλῶν προβλήματα καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν* ubi Theophrasti *περὶ κωμωδίας* liber significatur. Quae autém in scholiis Aristoph. relictae sunt Theophrasti observationes maiore ex parte ex eius plantarum historia petitae sunt cf. schol. Pac. 199. 1154 all.

2) Dicaearchus *ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου* citatur schol. Pac. 1244. *ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων* Av. 1403 *ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων* Nub. 1364 Ran. 1302, Vesp. 1239. Verba arg. Ran.: (*τὸ δρᾶμα*) *καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος* patet ad diversum eiusdem opus pertinere, quale Col. fuisse accepimus in quo de argumentis Sophoclearum quarundam et Euripidearum fabularum disputavit teste Sext. Emp. p. 697. cf. Arg. Sophocl. Aj. et Oed. Reg.

3) Bibl. alex. p. 3; repetitum legitur prolegg. ad edit. schol. Paris. p. XXII.

citantibus eum disputasse credibile est. (vide locos a Meineckio citatos Ath. VII p. 278 b XI p. 485 b p. 501 d) Peculiarem ad Aristophaneas fabulas commentarium non conscripsisse videtur [1]. Verumtamen ipsum Aristophanem multa docte et sollerter excogitata diligentissimo grammatico debere, accuratius perspiceremus nisi eae potissimum interpretationes servatae essent, in quibus acrem et severum oppugnatorem nactus est Eratosthenem [2], quod idem in Cratino interpretando ei accidisse luculenter testatur locus Athenaei XI p. 501 d apud Meineck. l. l. Causa saepe eum excidisse contra Eratosthenem confitendum sane est. Sed nimis acre Lycophronis vituperium ut cohibeamus eo efficitur, quod omnem eius interpretationum notitiam per Eratosthenem cum posterioribus temporibus communicatam esse probavit Bernhard. Eratosth. p. 217 [3]. Quem igitur credibile est ea maxime memoriae prodidisse, in quibus dissentiendum sibi videbat esse. Quapropter fervidius, ut assolet Fritzschium egisse puto, quum obscurae eruditionis osorem et talpa caeciorem eum nominat quippe a quo scriptura *τᾶς πλοκάδας* quam vehementer improbat profecta sit. Qua contumelia, ut Lycophronem, si fieri potest absolvamus Vesp. 91 et 103 scholiis commovemur, in quibus quin sana et probabilia protulisse videatur, ne morosissimus quidem iudex infitiabitur. Sequitur magnus Lycophronis in Aristophane interpretando adversarius Eratosthenes, cuius quae in scholiis adhuc comparent observationes ex libris XII *περὶ κωμῳδιάς* fluxisse demonstravit Bernhard. l. l. p. 203 sq., e quibus in meliorem Aristophanis intellectum quam egregia emolumenta redunda-

---

1) Hemsterh. ad Pl. p. 470.

2) Scholl. Vesp. 704. Pac. 199. 702 Thesm. 567. Pl. 1194. Hesych. II p. 194: *κατειλυσπωμένην: ὁ μὲν Λυκόφρων καταρτωμένην Ἐρατοσθένης δὲ συγκεῖσθαι τὴν λέξιν ἐκ τοῦ εἰλεῖν καὶ σπᾶσθαι.*

3) Huic sententiae favent schol. Pl. 1194 resp. 239, maxime Pac. 199.

verint haud pauci Scholiorum loci testes sunt. Sed rem non semper prospere ei cessisse intelligas e vesp. schol. Ven. v. 389 cuius priorem partem Eratostheni tribuendum esse patet ex Harpocr. p. 44, v. δεκάδων de re obscurissima cf. Meier u. Schömann att. Proc. p. 150 [1]). Quam egregie, si ferret operis opportunitas critici et interpretis Aristophanei partes sustinuerit, uberius explanavit Bernh. l. l. p. 204 sqq. In arte critica factitanda atticismo observando plurimum tribuisse videtur, id quod ex Phot. p. 32, 12 verissime concludit Fritzschius de carm. Aristoph. myst. p. 58. Idem confirmat schol. ran. 1263, ubi grammatico τῷ ψήφῳ [2]) scribenti, ut hoc generis masculini exemplo alium locum in adulterina comoedia obvium defenderet, neque atticum esse ὁ ψῆφος neque in spuria ista comoedia legi respondit Eratosthenes, ut Fritzschii explicationem sequar.

Eratosthenem excipiat, qui fere iisdem temporibus vixit Callimachus, cuius qui huc pertinet liber inscriptus erat (teste Suida T. II p. 232) πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ' quibus continuo accedit singularis capitis inscriptio: πίναξ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκαλιῶν, in quo totam omnium fabularum memoriam complexus est. Quarum tabularum quae fuerit ratio post Bernh. hist. gr. litt. I p. 134 Ritschel. alex. b. p. 20 abunde constat; Aristophanes autem quid inde lucratus sit praecipue intelligas ex Schol. Pac. 98 Av. 261. 302. 303., quae ex Callimacheo περὶ ὀρ-

1) Hoc ex auctoritate cod Θ Scholiastae restituendum esse vidit Fritzsch. ad Ran. l. l. p. 376 sq.

2) Multo probabilior Bernhardyi sententia est (Eratosth. p. 212) Λύκου δέκας propria Lyci cohorten significasse sive propter decem iudicia sive ex verbi vi, qua apud Eurip. suppl. 219 et fragm. ap. Hephaest. p. 92 occurrit, passim vero gliscente corruptionis rabie in convicium abiisse, maioreque abusu v. δεκάζειν ad corrumpendos indices esse translatam. — Lyci personae Solis vel omnino Lucis significationem subesse, ipso nomine intelligitur.

νεῶν libro fluxisse Schneid. de f. Sch. p. 86 opinio satis probabilis est. Quae cum aliis, quae spatii angustiis coactus sciens praetermitto demonstrant, quanto inferior sit Eratosthene, a quo scite eum refutatum esse luculento exemplo discimus Schol. nub. 552 cf. Bernh. Eratosthenica p. 212.

Sequuntur Dionysiades Mallotes et Protagorides, Cyzicenus, de quibus nihil habeo quod addam Meineckii disputationi h. cr. p. 12, cui recte puto ab hoc Dionysiade libri Χαρακτῆρες ἢ Φιλοκωμῳδοί inscripti auctore segregandum visum esse Dionysiadem tragicorum Pleiadi adscriptum [1]). De Asclepiade Myrleano post Werferum Act. Phil. Monac. II p. 535 et Schneiderus l. l. p. 90 nuper peculiare commentatione disputavit Lehrsius [2]) Regiom. a. 1846.

Quibus perlustratis ad celeberrimum Aristarchi magistrum Aristophanem Byzantium disputationis ordine ferimur. A quo eam, quam nunc manibus terimus comici recensionem curatam esse quo iure dixerit Fritzschius ad Thesm. 162 p. 52 mihi non magis exploratum est, quam Nauckio Arist. Byz. fragm. p. 63. Quas enim affert causas ex. Thesm. v. 162 emendatione, et ex Avium versu post 1332 inepte inserto petitas esse ad rem tam gravem confirmandam minime sufficiunt; ita gravioribus eum argumentis usurum esse sperandum in commentatione de recensionibus comici Alexandrinis, quam in fine praefationis ad quaest. Aristoph. I p. IV promisit. Ceterum non dubitamus, quin omnibus interpretis et critici partibus rite satisfecerit, id quod idoneis exemplis monstravit Nauckius l. l. inde a pag. 63., quem tamen dolendum est suam de sigmate et antisigmate criticis notis ab Aristophane Byz. Ran. v. 153 appositis opinionem non plenius exposuisse, quibus quid intelligendum sit minime omnium liquet; attamen res

1) Aliter visum est Bernhardys gr. Litt. Gesch. II. p. 613.

2) Lehrsii commentationem ut inspicerem, mihi non contigit. Asclepiades Myrleanus qua ratione a cognomine grammatico secerni possit ostendit Bernhardyus gr. Litt. Gesch. I. p. 378.

videtur expeditu facillima, si recte uteris diserto testimonio, quod ex cod. 480 bibl. S. Marci protulit Villoison. praef. ad Il. fin. hisce verbis expressum: *Ῥωμαϊκὸν σίγμα* Ϲ *καθ' ἑαυτοῦ ἀντίσιγμα ἄστικτον* Ͻ *ἀντίσιγμα περιεστιγμένον* Ͽ Patet igitur antisigmatis usum apud veteres grammaticos bipertitum fuisse nempe *σίγματι Ῥωμαϊκῷ* quod dicitur *ἀντίσιγμα* respondere etiamsi non diserte commemoratum sponte intelligitur, quoniam ab eo accurate secernitur *καθ' ἑαυτοῦ ἀντίσιγμα*, id est antisigma per se positum, cui non praecedat *σίγμα Ῥωμαϊκόν*, quod idem *ἀντισίγμα καθ' ἑαυτοῦ* aut puncto caret (*ἄστικτον*) aut puncto notatum est (*ἀ. περιεστιγμένον*). Utrum *ἀντίσιγμα* ab Aristophane Byzantio Ranarum v. 153 appositum sit declarant ipsa scholiastae Ven. verba: *τινὲς δὲ οὐ γράφουσι τὸν, νὴ τοὺς θεοὺς στίχον ἀλλ' ἀφαιροῦσιν αὐτὸν καὶ τὸν ἑξῆς οὕτω γραφουσιν· ἢ πυῤῥίχην τις ἔμαθε τὴν Κινησίου. διὸ καὶ Ἀριστοφάνης παρατίθησι τὸ σίγμα καὶ τὸ ἀντίσιγμα*, quae de antisigmate *καθ' ἑαυτοῦ* cogitare vetant. Quod idem intelligi manifestum est ab Isidoro origg. I, 20, quum iis versibus antisigma apponendum esse docet quorum ordo permutandus est. Itaque erravit Fritzschius comment. ad Ran. p. 106. qui confuso utroque signo Aristophanem grammaticum cognominis poetae locum scripsisse arbitratur, ordine versuum 151 et 153 permutato [1]). Sigmatis autem et antisigmatis vim et significationem quivis statim perspiciet ipsam harum notarum formas intuitus. Quas si tibi appinxeris Ϲ Ͻ intelliges, sigmate et antisigmate notari idem esse atque uncis includi [2]), quos etiamnunc verbis su-

1) Nauckium his notis athetesin significari putasse ex emendatione Ran. loci collligo p. 65 proposita, quam tamen infelicissimam esse statuo. Nam quis credere potest Bacchum terrorum, quos describit Hercules, exspectatione paene confectum tantum recuperare audaciae, ut novis monstris addentis Herculis orationem interrumpat. Immo ut inde a. v. 146 usque ad 153 Herculis oratio continuetur res ipsa flagitat.

2) In eandem sententiam nescio num forte an certis argumentis ductus Fritzschius incidisse ad Thesm. p. 52. videtur. At neque demon-

spectis applicare solemus, quos tamen prorsus delere vel non audemus vel nolumus. Cui sententiae non adversatur schol. *Οδ.* ε, 247 sq. *Ἀριστοφάνης τοὺς δύο στίχους τὸ αὐτὸ ᾤετο περιέχειν ἄμφω· διὸ τῷ μὲν σίγμα, τῷ δὲ ἀντίσιγμα περιτίθησιν.* Itaque prorsus similem atque Aristarchei obeli usum fuisse haud temere mihi persuasisse videor.

Haec sufficiant de iis, qui ante Aristarchum in Aristophane illustrando operam contulerint. Quae abunde docent non quantis ex erroribus Homerica interpretatio Aristarcho eripienda esset tantos etiam ex Aristophanea depellendos ei fuisse, in qua inde ab Aristotelis tempore doctissimi acutissimique viri certatim elaboravissent. Cuius rei quae se offerunt causae non solum in ipsorum doctorum hominum acumine et ingenii praestantia positae sunt, verum etiam in ipsa rerum, quas tractarunt opportunitate. Eratosthenes enim quanta quamque diversa ingenio complexus sit, fragmenta a Bernhardyo collecta et illustrata testimonio sunt, et Aristophanes Byzantius quam proxime abfuerit a divino clarissimi discipuli acumine ut pernoscamus copia facta est Nauckii elegantissimo libello. Atque ut quam rei ipsius opportunitatem dixi breviter stringam tam arcte comoedia cum temporis, quo florebat, indole coniuncta erat, ut historiae cognoscendae praestantissimus fons et semper habita sit et nunc etiam a nobis merito habeatur. Quid igitur mirum doctorum hominum ingenia inde ab Aristotelis tempore in historia perscrutanda inprimis occupata, a comoedia potissimum, quae temporis peracti quasi imaginem vividis coloribus expressam evolveret maximopere capta esse atque allecta. Sed haec ipsa comoediae cum tempore intima necessitudo efficiebat, ut multa cum rebus praesentibus arctissime cohaerentia posterorum intellectum fugere deberent. Quibus ne omnis ad haec eximia Graeci ingenii monumenta aditus intercluderetur per-

---

strandа neque retinenda videbatur ei, qui ad Ran. locum pristinae interpretationis oblitus novam ac valde improbabilem proposuit.

sonarum exagitatarum vita et moribus in tenebris latentibus mature curandum erat, ut quae ad eorum memoriam posteritati integre tradendam conferre possent diligentissime explanarentur. Unde librorum περὶ κωμῳδουμένων quorum haud paucorum ad nos pervenit notitia causas et initia repetenda esse quivis intelligit.

Critico autem Aristarcho in dramatica poesi non tam latum patuisse campum, quam in epicis carminibus tractandis non mirabitur, qui diversam utriusque generis conditionem paululum secum reputaverit. Epica poesis enim quum gliscente diasceuastarum incuria et novandi libidine varios corruptionis gradus percurrisset, inexorabilem ut ita dicam sibi flagitabat criticum, qui ad pristini fontis, quoad indagari poterat nitorem omnia revocaret; dramaticae autem poesi statim ab initio non defuit scriptarum litterarum fides; quapropter quamvis histrionum licentia leviter turbata tamen Alexandrinorum saltem tempore a genuina integritate haud multum deflexa erat, unde facile perspicitur, cur locorum iam a veteribus grammaticis vexatorum perrara in scholiis Aristophaneis compareat memoria. Accedit quod tantum uni Homero impendit studium, ut si quid minus in aliis poetis interpretandis profecerit, non tam graviter vituperandus, sed communem sortem humanam expertus esse putandus sit. Quam eandem reputare aequum est, si criticum ad verba rimanda unice attentum in rebus historicis explanandis haud feliciter nonnunquam versantem deprehendimus. Mirari igitur desinamus, quod Aristarchum divinum Homeri sospitatorem, qui omnes et decessores et assectatores longo superaverit intervallo non aeque ceteris omnibus aemulis in Aristophane interpretando praestare videmus, quamquam etiam in hoc genere quid magistro debuerint discipuli in tanta scholiastarum incuria ad dirimendum saepe difficillimum est. Hoc tamen Aristarcheorum studiorum vestigiis perlustratis unusquisque concedat oportet, eum gloria ex Homericis studiis comparata nunquam sese indignum praestitisse.

Quaerenti nunc ad quam maxime fabulam Aristarchi nomen excitetur ultro se praebet observatio, longe plurima eius vestigia in Ranarum scholiis reperiri, dimidio fere plura, quam ad alias fabulas exhibentur, quarum praeter Lysistr. et Eccl. neque ad Acharnenses ulla eius mentio invenitur semel obvia in scholiis ad Plut. Av. Vesp. et Thesmoph. Ranarum autem scholia praeter Pluti et Nubium ceteroquin refertissima sunt antiquissimarum observationum; eorum autem, qui post Aristarchum floruerunt interpretum nomina in Avium et Vesparum scholiis potissimum citantur. Quod utrum casui tribuam, an cum ipsa eorum studiorum natura ac ratione coniunctum esse arbitrer dubius haereo et si quae insunt in ipsis scholiis ad hanc quaestionem dirimendam idonea aut plane fugerunt oculorum aciem, aut non eo ingenii acumine me praeditum esse confiteor, ut veritatem spissis tenebris tectam prospere indagem; quam igitur quaestionem, si omnino poterit solvi, acutioribus pertractandam relinquo.

Pergamus nunc ad ipsius Aristarchi Aristophanea studia illustranda. Quam disputationem ita distinxi, ut primum quid in singulorum verborum interpretatione ab eo praestitum sit exploretur paucaque addantur, quibus qualem in critica Aristophanea factitanda sese praestiterit eluceat, deinde quomodo in rebus historicis explanandis eius industria versata sit perspiciatur, subiungantur denique eae Aristarchi observationes, in quibus res prosodiacae et metricae tractantur.

CAPUT III.

Ad vocabulorum Aristophaneorum interpretationem quid contulerit Aristarchus.

Ordiamur a schol. Rav. Nub. 109: *Φᾶσις ποταμὸς Σκυθίας ὅπου καλοὶ ἵπποι γίνονται. Λεωγόρα δὲ ὡς ἱπποτρόφου μέμνηται. οἱ δὲ περὶ Ἀρίσταρχον ὀρνίθων τι γένος λέγουσι τοὺς φασιανούς. ἢ φασιανοὶ λέγονται οἱ ἔχοντες τῷ μηρῷ φασιανὸν ἐγκεχαραγμένον ἵπποι.* Aristarchi nomen in codicis scriptura *περὶ Ἀρχίλοχον* latere acute perspexit Ruhnk. praef. ad Hesych. II p. VII, ubi de diversis, quibus hoc nomen obscuratum est corruptelis copiosius agit. Disceptatum igitur videmus esse de vocis *φασιανός* significatione, quam quum alii de equis phasiani imagine insignitis vel ad Phasin flumen oriundis intelligerent, Aristarchus verissime perspexit ipsum illud, quod nominis sonus referat, avium genus significari. Ineptit autem Dindorfius sic interpretatus poetae verba: „Lepide Phidippides ab equitandi studio ne tum quidem destiturum se esse dicit, si praestantissimi equi Leagorae sibi offerantur.“ Quis enim credendus est ab equitandi studio destiturus esse cui pretiosissimi equi donantur, immo tali dono instimulabitur ardor; neque omnino alicuius interesse potest equos possidere quibus uti non concessum sit. Itaque ad contrariam Aristarcheae interpretationem defendendam una tantum, si quid video patet via. Omnium enim maxime id curat Strepsiades, ut filius Socratem adeat solvendorum debitorum novam doctrinam profitentem, in quo si filius obsequitur vel animum ad philosophiam applicatum ultro ab equis detrahet, vel si non detrahet eam sibi comparabit scientiam, qua res alienas hac insania conflatas facillime compensare poterit; itaque gravior voti pars verbis continetur *τούτων γενοῦ μοι*, quibus addit id quod ultro inde effici putat *χασά-*

μενος τὴν ἱππικήν; hanc esse sententiae rationem suadere videri possint, quae sequuntur. v. 110: ἴθ' ἀντιβολῶ σ' ὦ φίλτατ' ἀνθρώπων ἐμοὶ ἐλθὼν διδάσκου, et quae respondet Phidippides: καὶ τί σοι μαθήσομαι. Quodsi putas ad sola verba τούτων γενοῦ μοι respondere Phidippidem neglectis quae adduntur a patre χασάμενος τὴν ἱππικήν haud prorsus absonum erit v. 109 τοὺς φασιανοὺς de equis accipere, ut hic evadat sensus: „Minime omnium ne Phasianis quidem equis donatus commovebor, ut Socratis disciplinae me addicam." Sed tamen patet quanto facilior sit Aristarchea explicatio neque contra eum audiendus Herodian. in app. ad Phryn. p. 459 ed. Lobeck, qui docet formam φασιανοί de equis peculiarem esse φασιανικοί de avibus.

Verbis comice compositis explicandis quod acumen comprobaverit, luculentum servatum est exemplum schol. Ven. Vesp. 220 cuius haec adscribenda sunt verba: ἀρχαιομελισιδωνοφρυνιχήρατα: Παρὰ τὸ μέλι, ὅπερ ἐστὶν ἡδὺ [1]) καὶ τὴν Σιδῶνα καὶ τὸν Φρύνιχον καὶ τὰ ἐρατὰ ἔμιξεν, οἷον ἀρχαῖα μέλη Φρυνίχου ἐρατὰ καὶ ἡδέα καθάπερ μέλι περιέχοντα τὸ τῆς Σιδῶνος ὄνομα — Ἄλλως. ὅτι δι' ὀνόματος ἦν καθόλου μὲν ὁ Φρύνιχος ἐπὶ μελοποιΐᾳ, μάλιστα δὲ τὸ ἐκ τῶν Φοινισσῶν αὐτοῦ τὸ „καὶ Σιδῶνος προλιπόντα ναόν" [2]) ἢ Σιδώνιον ἄστυ λιπόντες" [3]) πεποίηται δὲ ἡ λέξις παρὰ τὸ ἀρχαῖον καὶ τὸ μέλος καὶ τὸ Σιδὼν καὶ τὸ Φρύνιχος καὶ τὸ ἐρατόν [4]). Ἀρίσταρχος δέ φησι γεγενῆσθαι ἀπὸ τοῦ μέλι καὶ τοῦ Σιδῶνος καὶ τοῦ Φρυνίχου καὶ τοῦ ἐρατόν. Aristarchum rectissime compositionis rationem perspexisse ostendit Av. v. 750: ἔνθεν ὡσπερεὶ μέλιττα Φρύνιχος ἀμβροσίων μελέων

---

1) ἢ τὰ μέλη inserit Ald.

2) προλιποῦσα τὸν ναὸν Ald.

3) Legebatur λιποῦσα correxit Dind. ex Hesych: Γλυκερῷ Σιδωνίῳ· δρᾶμα δέ ἐστιν ἐν ᾧ τῆς θυμέλης ἄρχεται οὕτως „Σιδώνιον ἄστυ λιπόντες καὶ δροσερὰν Ἄραδον (cod. καῖδρος ἐρανάδαρον καὶ δροσερὰν Schow. Ἄραδον Th. Bergk., διεβεβόητο δὲ τὸ μέρος τοῦτο·

4) Verba καὶ τοῦ ἐρατον omititt. Ven.

ἀπεβρύσατο καρπὸν ἀεὶ φέρων γλυκειᾶν ᾠδάν. Prorsus igitur ex Aristarchi mente haec adscripsit schol. Rav.: *τὸ μὲν μέλι τὴν γλυκύτητα τοῦ ποιητοῦ σημαίνει κτλ.* et fallitur alter, qui Aristarcho obloquitur *μέλος* radice inepte huc illata.

Idem in epithetis explicandis acumen probavit Ran. versu 357, in quo quod Cratino tribuitur cognomen *ταυροφάγος* a tauro dithyrambicorum poetarum praemio rectissime derivat teste schol. ad h. l. *μήτε Κρατίνου: Πρὸς τοὺς περὶ Ἀρίσταρχον οἰομένους ὅτι ταῦρος ἦν αὐτοῖς τὸ ἔπαθλον,* quam eandem Apollonii fuisse sententiam patet ex Ven. schol.: *Ἀπολλώνιος δέ φησι ταυροφάγον τὸν Διόνυσον ἀπὸ τῶν διδομένων τοῖς διθυράμβοις βοῶν.* Etiam hic locus ex eorum numero est, in quibus Aristarchi mentio diu obscurata iacebat Aristoxeni nomine cf. supra p. 35. E quibus verbis Fritzschius comm. ad Ran. p. 191 verissime concludit, Cratinum etiam propria cura in dithyrambis scribendis elaborasse quod idem Anaxandridem comicum fecisse ad v. 320 demonstravit; quae opinio egregie confirmatur Bubulcorum Cratini fabula; quam choro ab Archonte negato orsam esse a dithyrambo nota est Hesychii glossa ingeniose a Fritzschio (comm. ad Ran. p. 57.) quoad fieri potuit emendata: *Πῦρ πρὸς ἔγχει: Κρατῖνος ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος. ἔστιν οὖν τήρει* **. — Alii ad h. Ran. l. Aristarcho oblocuti importuno tempore meminerunt, *ὁ ταυροφάγος* alias Bacchi fuisse cognomen; cuius rei testimonium attulerunt Sophocleum quendam locum, a quo tamen Aristophaneus prorsus diversus est, quod non assecutus Apollonius, Aristarchi explicationem Ranarum verbis aptissimam ad Sophocleum versum temere transtulit. De hoc et Bacchi et Cratini cognomine veterum testimonia composuit Fritzschius l. l. p. 192, quibus adde Cramer. anecd. Oxon. III p. 334. Io. Tzetzes apud Dübn. Mus. Rh. 1835. p. 393 sq. (adde 1836 p. 134. repetitum a Duebnero in proleg. ed. schol. Paris. X b. p. XXIII.) Taurum dithyrambicis poetis praemio datum esse confirmat etiam schol. Veron. ad Virg. bu-

col. III, 29 ed. Keil. quod sic refingendum puto: Vitulam M[enalcae] operis auditor parat[am significat. Nam] apud veteres adipiscebantur aut comici arietes aut tragici hircos, lyrici (h. e. dithyrambici) tauros.

Sed his praeclaris Aristarchi observationibus consideratis non praetereundum est, si quid minus caute et sollerter excogitavit. Poetae autem sententiam eum non illustrasse sed potius obscurasse puto explicaturum verba Equ. v. 755: *ὁ γὰρ γέρων οἴκοι μὲν ἀνδρῶν ἐστι δεξιώτατος, ὅταν δ' ἐπὶ ταυτησὶ καθῆται τῆς πέτρας, κέχηνεν ὥσπερ ἐμποδίζων ἰσχάδας.* Quorum duo interpretamenta ab Aristarcho profecta in scholiis referuntur, *Ἀρίσταρχος δὲ τὸ ἐμποδίζων ἀντὶ τοῦ μασσώμενος ἢ ἐμφορούμενος* quod uberius in Symmacheo commentario sic referebatur: *Ἀρίσταρχος δὲ ὅτι μασσώμενοι τὰς ἰσχάδας ταῖς μελίτταις ῥίπτουσιν ἃ τοῖς ποσὶ τρίβουσιν* quae lucem accipiunt praecedente ipsius Symmachi explicatione: *Σύμμαχος οὕτως· ἀπὸ τῶν μελισσῶν ἡ μεταφορά· εἰώθασι γὰρ οἱ μελισσουργοὶ ἰσχάδας συγκεκομμένας ῥίπτειν ταῖς μελίσσαις, ἐπὰν διὰ κρύος ἢ χειμῶνα ἐξιέναι κατοκνῶσιν ἐκ τῶν σίμβλων ἵνα ἔνδοθεν ἐσθίωσι. κεχήνασι δὲ οἱ μασσώμενοι.* Putabat igitur Aristarchus imaginem a re apiaria depromtam Aristophanis verbis subesse, atque *ἐμποδίζειν ἰσχάδας* de apibus dici, qui ficorum ad devorandum proiectorum cupidissimi pedibus eos calcant. Quo tamen poetae sensum minime exprimi in aprico est. At si quis est locus, qui ad ignoscendum errorem paratissimos nos reddere debeat, sunt haec certe verba, quae adhuc nemo Aristophaneorum interpretum, quod sciam, recte interpretatus est. Quam in scholiis exstant interpretamenta omnia aeque inepta sunt, ita ut copiosius ea refutare pigeat. Neque melius rem gesserunt recentiores interpretes, quorum Berglerus putat, festive comparari populum anxium et ex imprudentia consilii inopem cum eo, qui ficos alligans petiolis fractis haeret, Dindorfius opinatur ficos a senibus potissimum decrepitis et ad graviores labores ineptis alligatos esse, sicut etiamnum in Graecia videre

liceat, itaque hoc dicere Aristophanem, Demum oscitabundum assidere senis instar imbecilli ficos alligantis, ad quod probandum nihil valet quem affert Eustathii locus opusc. 291, 54: *καὶ εἰς τοσοῦτον χασμησάμενος ἐκάθητο τοῦ λοιποῦ χαῦνος, εἰκὼν ζῶντος, ἐμποδίζων οἷον ἰσχάδας καὶ αὐτὸς κατὰ τὸν κωμικόν*, at confirmat id quod iam ex verbi *χαίνειν* usu manifestum est, insignem stuporem et oscitantiam hoc loco describi; cuius tamen valde inepta mihi videtur a sene desumpta ficos alligante imago. At ne ipse quidem habeo, quod afferam ad locum vexatissimum persanandum, nequei nutilium coniecturarum et antiquarum et recentiorum farraginem temere augendam esse censeo.

Neque felicius versatum esse Aristarchum in Ran. v. 134 interpretando haecce scholii verba a Rav. Venetoque servata declarant: *Ἀρίσταρχος, πρὸς τὸ σχῆμα, φησὶ, τοῦ ἐγκεφάλου. ἔστι γὰρ ὥσπερ δύο θρῖα συγκειμένα. θρῖα δὲ κτλ.*, in eandem sententiam disputata sunt, quae in solo Veneto praecedunt: *Καὶ γὰρ ὁ ἐγκέφαλος τῶν ἀνθρώπων ἔχει ὑφ' ἑαυτὸν ὑμένας ἐοικότας τοῖς τῆς συκῆς φύλλοις.* Itaque Aristophanis verba: *ἀλλ' ἀπολέσαιμ' ἂν ἐγκεφάλου θρίω δύο* ad formam externam cerebri referenda esse Aristarcho videbantur. Cui Aristarchi opinioni temere assensi sunt Henr. Steph. thes. ling. gr. p. 4234 Frischlin. Kusterus Brunckius, rectam verborum significationem perspexerunt Io. H. Vossius, Welckerus, Droysenius haud inficete vernacule interpretatus: Hirnklösse. Omnium autem acutissime novissimus Ranarum interpres [1] exposuit, Aristarchi opinionem et aperto de cerebri forma errore et intolerabili in poetae facetissimi ieiunitate premi, quippe qui non medicus medicis obscuram doctrinam expromeret, sed cibi egregii mentione Atheniensium animos delectaret; sed tamen vir doctissimus inde a pag. 86. rei culinariae mysteria iusto audacius profanasse accusandus est; idem propter ea quae sequuntur iam alios grammaticos Aristarchum refellisse monuit.

1) Fritzsch. ad ran. p. 90 sq.

Sed peccata his, quos nunc tractavimus locis commissa aliis consoliti acuminis documentis egregie compensantur, quorum nunc considerandum schol. Ran. 990 a Fritzschio sic emendatum *Μαμμάκυθοι: Ἀρίσταρχός φησιν ὠνοματοπεποιῆσθαι. πῶς οὖν, Δημήτριός φησιν* (exciderunt fere haec *οἱ Ἀθηναῖοι ἐνταυθα λέγονται Μαμμάκυθοι*) *Εἰ δὲ μὴ σύνηθες ἦν αὐτοῖς τὸ ὄνομα, οὐ καὶ δρᾶμα ὅλον οὕτως ἐπεγέγραπτο ἂν Μαμμάκυθος, ὅ τινες Πλάτωνος λέγουσιν.* In voce *Μαμμάκυθος* explicanda dissentiunt Aristarchus et quem e Suida v. *Δημήτριος* et scholl. Ran. 75. 1001. 1021 acerrimum eius adversarium cognovimus *Δημήτριος Ἰξίων*, in cuius locum Demetrium poetam comicum infelicissime substituentem Meineckium hist. crit. p. 219 merito exagitavit Fritzschius. Aristarchus quin recte statuerit fictum esse nomen *Μαμμάκυθος* procul est dubio, quem cur Fritzschius graviter increpet, quod vel non iisdem verbis sententiam expresserit, vel non uberius exposuerit, non adest idonea causa. Hoc enim solum Aristarchus contendit vel ab ipso Fritzschio concessum, non inter legitima nomina propria vocem illam referendam esse de reliquo eius usu prorsus securus. Quam e cognomine in nomen commutatam esse egregia est Fritzschii p. 324. observatio, cuius quae deinceps sequitur doctissima disputatio mihi persuasit, propriorum nominum terminatione — *υθος* id actum esse, ut iusti nominis species voci conciliaretur, ad quod confirmandum aptissimis utitur exemplis: *Σμίκυθος* Eccl. 293 *Μίκυθος* E. M. p. 55, 21. *Κομπολάκυθος* Ach. 564 et 1145, quibuscum comparanda *Σμικύθης* Equ. 964. *Σμικυθίων* vesp. 401 Eccl. 46 Demosth. in Aristocr. p. 169, 513 et ibidem *Μιλτοκύθης*; designare autem matris pullum *τῆς μητρὸς νεόττιον.* Recte comparantur *βλιτομάμμας* nubb. 1001 a Tzetza Chil. IV, 872 *μαμμόθρεπτος* a Lobeckio ad Phryn. p. 299, *Ἐπικράτης Κυρηβίων*, *Ἀχαιὸς Κιλλικῶν*, Aristophanis, *Ἀμφιστείδης* Photii p. 256, 21 et Suidae s. *Γελοιός*, *Ἀμφιστίδης* Eustath. p. 1669, 51 et Bekk. anecd. p. 211, 29, *Βουταλίων* schol. ad h. l. Suid. s. v. et s. *Μωροί* a Fritzschio l. l.

Thierschii ad l. c. et Passovii lex s. v. errores de hac voce prolatos non attinet huc afferre.

Eidem, quod nunc tractamus generi adscribendae sunt hae Aristarchi observationes:

Schol. Pac. 1159: *ἀχέτας: Ὁ τέττιξ διηχεῖ παρὰ τὸ Ἡσιόδειον* (Op. 580) *„ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ καὶ ἠχέτα τέττιξ“ ὁ δὲ Ἀρίσταρχος οὔ φησι τοὺς ᾄδοντας ἀρσενικῶς λέγεσθαι τὰς δὲ θηλείας οὕτως.“* Quae Aristarchi observatio confirmatur ab Aristot. hist. an. IV, 7; de cicadarum cantu cf. etiam Io. Henr. Vossius ad Virg. ecl. V, 77.

Schol. Ven. Av. 76 *Φαληρικὰς ἀφύας: Ὅτι πληθυντικῶς λέγουσι τὰς ἀφύας. Ἀρίσταρχος δὲ οὐκ ἀποδέχεται πληθυντικῶς, διὸ τὸ χ.* Aristarchi opinio iis locis adiuvatur, quos attulit Athen. XIV p. 284 sq. quibusque singularem v. *ἀφύη* non inusitatum esse confirmatur. Singularem rarum pluralem vulgarem esse docet Etym. M. p. 179, 3: *ἀφύη: ἰχθύδιον μικρὸν καὶ εὐτελές. Εἴρηται δὲ ἑνικῶς σπανίως, πλεονάκις δὲ πληθυντικῶς. Ἀριστοφάνης·* (equ. 642) *„οὔποτ“ οὐπώποτ'* Piers. ad Herod. Moerid. adi. p. 461 a) *εἶδον ἀξιωτέρας* et Bekk. anecd. p. 473.

Quae schol. Pac. 1210 de voce *προθέλυμνον* ab Aristarcho disputata esse refert, ea ab Aristophanei loci indole tam aliena sunt, ut non temere ex Homericis eius commentariis ad Il. v, 130; 0,479 ea illata esse suspiceris.

Pergendum nunc est ad ea interpretationis Aristarcheae exempla in quibus non tam singularum vocum significationes explicat, quam ad ipsius sententiae rationem ac indolem accurate definiendam sese accingit. Quod genus perlustraturi incipiamus a schol. Ven. ran. 1144: *Ἀρίσταρχος δέ φησι τῶν ἐξηγήσεων τοῦ στίχου τὴν προτέραν κατὰ τὸν ποιητὴν εἶναι, ἣν ὁ Εὐριπίδης ἔφη, τὰ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς κράτη ἐποπτεύων, ὃς κρατηθεὶς ὑπὸ τῶν περὶ Αἴγισθον ἀπώλετο.* Quae sensum non habeat, nisi scribatur: *Ἀριστ. δὲ φ. τ. ἐξ. τ. στ. τ. πρ. οὐ κατὰ τὸν ποιητὴν εἶναι, ἣν ὁ Εὐριπίδης ἔφη κ. τ. λ.* Qua emendatione recepta Aristarchum rectissime animadvertisse

patet. Aeschylei loci interpretationem quam ad eum irridendum protulit Euripides non ex Aeschyli sensu excogitatam esse.

Ran. v. 1149 rectam personarum distributionem Aristarcho deberi haec declarant scholiastae Ven. et Rav. verba: οὕτω δ' ἂν εἴη πρὸς πατρὸς τυμβώρυχος: Οἷον τυμβωρύχου πατρὸς τοῦτο ὁ Διόνυσος λέγει ὑποτεμνόμενος τὸν Εὐριπίδου λόγον διὰ τὸ ὑπερσπεύδειν, ὡς καὶ Ἀρίσταρχός φησιν. οὕτω γὰρ εἰκότως Αἴσχυλος ἐπήγαγε, „Διόνυσε πίνεις οἶνον οὐκ ἀνθοσμίαν." Attamen vix poterit sibi quisquam persuadere, de versu 1149 Baccho tribuendo unquam dubitatum esse, quum quem exceperit loquendo Aeschylus etiam casu appareat e vocativo Διόνυσε. Itaque Aristarchea illa observatio non tam in personarum vicibus restituendis versari arbitror, quam Bacchi sermonis causam et rationem describere. Nempe Euripidem a Baccho importune interrumpi, quia tacendi dum ille finiverit impatiens est (διὰ τὸ ὑπερσπεύδειν) Aristarchus monuit. Verbum ὑπερσπεύδειν quamquam hoc uno loco legitur, tamen rationi prorsus convenienter formatum et huic loco aptissimum non est cur corruptum putetur.

Memores autem, personarum vicium turbatarum restitutio quanta utilitate sit in critica Aristophanea factitanda, ad acuminis critici documenta, quae in Aristophane emendando Aristarchus exhibuerit legitimo disputationis ordine perducimur quam tamen proximo capite pertractare placet.

CAPUT IV.

Aristarchus qualem se praebuerit in Aristophane emendando exponitur.

Personarum distinctionem restitutam et facetiarum vigorem ingeniose revocatum Aristarcho debemus Ran. v. 308; quod patet ei, qui haecce scholiastae Veneti verba recte interpretatur: ὁδὶ δὲ δείσας: Ὁ τοῦ Διονύσου ἱερεύς. πυῤῥὸς

γάρ ἦν κατὰ φύσιν. παρ' ὑπόνοιαν δὲ τὸ ἐπυῤῥίασε πρὸς τὸ ὠχρίασεν. Ἀρίσταρχος δέ φησιν ἐφ' ἑαυτοῦ λέγειν τὸν Ξανθίαν· καὶ γὰρ διότι πυῤῥὸς οὕτως ἐπικεκλῆσθαι, καθάπερ Πυῤῥίας καὶ Σμικρίνης. Quibus primum efficitur, v. 308 vulgo perperam Baccho tributum Xanthiae adscribendum esse, quod recte ab Aristarcho observatum quum intellexerit Dindorfius, tamen veras personarum vices in ipso verborum contextu restituere noluit. Sed Aristarchi interpretationem minime perspexit Fritzschius comment. ad Arist. Ran. p. 167. opinatus hanc lectionem Aristarchum invenisse necesse esse: ὁδὶ δέ δείσας ὑπερπυρρίασε σου „tametsi ipsius explicationi prima persona ὑπερπυῤῥίασα accomodatior fuisset". Nihil apertius mihi quidem videtur esse quam hanc fuisse Aristarchi sententiam: Xanthias de se ipso loquitur i. e., sicut ex proxime sequentibus ultro apparet, ad suum ipsius nomen alludit quod quum a voce ξανθὸς derivari possit, fere eandem habet notionem atque Πυῤῥίας a πυῤῥος deductum, cuius simillima est notio, vel a σμικρός fictum nomen Σμικρίνης. Itaque hunc sensum in Xanthiae verbis inesse vult Aristarchus: „Iste (sc. Bacchi sacerdos) inter spectatores sedens dignior vel aptior est, qui Xanthias vocetur me ipso", quo et fuscum sacerdotis colorem irrideat et timorem eius festive perstringat. Talibus autem ingenii lusibus ex ipso nominum sono repetitis quantopere delectati sint Athenienses non solum comoediae sed etiam tragoediae non pauca exempla docent. Itaque Demetrius Ixion non tam refutasse quam amplificasse et supplevisse Aristarcheam interpretationem putandus est, quem quum conviciorum in ipsos spectatores iactatorum exempla ex Platone comico depromere maluerit, quam ex Aristophane facile suspiceris Vesparum fabulam non interpretatum esse, nisi propter schol. Vesp. 240 iusto fallacior videretur haec concludendi ratio.

Eiusdem Demetrii Ixionis [1]) coniecturam ineptissimam,

---

1) Teste Phot. p. 117, 3: Κρέας: — καὶ τὸ σῶμα. — τὴν περὶ

qua v. Ran. 191 corrupit, refutans Aristarchus insigne critici acuminis documentum exhibuit. Scripserat enim Demetrius: εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν νεκρῶν, scribendum vidit Aristarchus: τὴν περὶ τῶν κρεῶν, quae verba quem sensum habeant, accuratissime exposuit Fritzschius comm. ad Ran. p. 123 sq., cuius egregiam de hoc loco disputationem splendidissimis commentarii eius ornamentis adnumerare non dubito. Certissimum enim est proverbii Graecis usitatissimi: ὁ λαγὼς τὸν περὶ τῶν κρεῶν τρέχει, quo summum vitae periculum describitur, sic rationem haberi, ut ναυμαχεῖν τὴν περὶ τὴν κρεῶν (sc. ναυμαχίαν) aptissime dicatur de ea pugna, quae de summa reipublicae committeretur. Hanc autem fuisse temporis, quo ad Arginusas pugnabatur, conditionem, nemo nescit nisi historiae plane ignarus; quare Diod. XIII, 99 eodem sensu hanc pugnam hanc aptissime vocat τὴν περὶ τῶν ὅλων. Attamen Fritzschius quamvis de hoc loco egregie ceteroqui meritus in Aristarchi sententia diiudicanda haud feliciter versatus est. Verbis enim scholiastae: διάφοροι αἱ γραφαί· οἱ μὲν γὰρ κρεῶν ὥς Ἀρίσταρχος φησὶν ἐπὶ τῶν σωμάτων λαμβάνεσθαι πολλάκις, καὶ παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ ἐν χρύσῃ „τοιοῦτος ὢν ἄρξεις τοῦδε τοῦ κρέως" ἐνθάδε οὖν εἰ μὴ νεναυμάχηκε περὶ τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς· ὡς ποτὲ τῶν Ἀθηναίων εν περιστάσει γενομένων καὶ ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἀγωνιζομένων προσλαβεῖν τοὺς δούλους καὶ ὕστερον ἐλευθερίας ἀξιῶσαι diversas Aristophanei loci interpretationes contineri, verbaque scholii inde ab ἐνθάδε οὖν usque ad ἀξιῶσαι non ex Aristarchi mente profecta esse, ut credam specie quadam diversitatis non adducor. Immo Aristarchus, ut rariores v. κρέας significationes uno in loco colligeret primum animadvertit, hanc vocem saepenumero de corporibus usurpari, cuius significationis exem-

τῶν κρεῶν: ὁ δὲ Ἰξιὼν γράφει τὴν περὶ τῶν νεκρῶν· τῶν ἐν Ἀργινούσαις ἀτάφων, ὑπερ ὧν ἀνηρέθησαν οἱ στρατηγοί. Infelicissimae coniecturae infeliciorem interpretationem ab Apollonio grammatico profectam esse patet ex schol. Ran. 423. cf. Fritzsche l. l. p. 127.

plum affert locum Sophocleum ex Chryse petitum; at tantum abest, ut hanc notionem in Aristophaneum locum temere transferat, ut se ad illum redire distincte exprimat verbis *ἐνθάδε οὖν* κ. τ. λ. Itaque in hunc fere modum Aristarchus disputationem suam instituisse videtur: „Vox *χρέας* non raro ad corpus significandum adhibetur, quod confirmat Sophocleus ille locus; nostro igitur loco (*ἐνθάδε οὖν*) *περὶ τῶν χρεῶν ναυμαχεῖν* significat de sua ipsius salute proelio navali dimicare; nam Athenienses eo desperationis pervenerunt ut servos armare atque libertate donare cogerentur“. Patet igitur *ναυμαχεῖν περὶ τῶν χρεῶν* Aristarcho fuisse de sua ipsius vita atque salute decertare; quod recte dici tum demum posse in aprico est, quum eo discriminis rei publicae status pervenit, ut cum patriae salute etiam unius cuiusque civis salus vel conservetur vel intereat. Quae omnia non eo consilio disputavi, ut omnibus partibus rectum et verum vidisse Aristarchum probem, quem de proverbio illo leporino cogitasse ne verba quidem a Fritzschio hunc in sensum explicata: *ὡς ποτὲ τῶν Ἀθηναίων ἐν περιστάσει γενομένων καὶ ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἀγωνιζομένων* ullo modo demonstrare videntur. Eo tamen crimine liberandus erat criticorum princeps, quasi illam quam frequentem dicit esse aliisque exemplis comprobatam notionem temere ad Aristophanem traduxisset, quod si in animo habuisset in promptu erant ipsius poetae exempla, quibus ille usus comprobaretur Equ. 421 et 457.

Proverbii nimis obliviosum hic, quem modo tractavimus, nimis tenacem Aristarchum ostendit alius ad quem statim pergamus locus. schol. Ven. Ran. 970: *οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κῖος*: *ὅτι δοκεῖ πρὸς γεγράφθαι τῇ πολιτείᾳ Ἄγνωνος αὐτὸν ποιησαμένου, ὡς Εὔπολις Πόλεσιν. Ἀρίσταρχος δὲ ὡς γεγραμμένου Κῷος ἐξηγεῖται· ὅτι πρὸς τὸ Κῷος εἰς ἤγαγε τὸ Χῖος. τὸν γὰρ ἀντίστροφον* (leg. *ἀγχίστροφον*) *τῷ Χίῳ λέγεσθαι*. Perspexit igitur egregie Aristarchus locutioni *οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος* subesse preverbium illud: *οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῷος*, quod ab astragalorum ludo apte adhibebatur in hominem, „qui, ut Fritzschii

verba mea faciam, tum praesentissimum discrimen levi declinatione et velut corpore effugerat. Sed in eo erravit Aristarchus, quod proverbio ad explicandum poetam aptissimo ad emendandum infeliciter usus est, versum Aristophanis scribendum ratus: Οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῷος, non respiciens, Theramenem ex Ceo insula oriundum etiam tanquam peregrinum a comico exagitari, id quod verissime iam Demetrium Ixionem monuisse haec docent quae deinceps sequuntur scholiastae verba: ἐπιπλήττει δὲ αὐτῷ ὁ Δημήτριος ὡς τελέως ἀγνοοῦντι, ὅτι Κῖος (Κεῖος Fritzsch. leg.) ἦν, quem tamen nimia Aristarchi refutandi cupiditate abreptum fugit proverbium illud, de quo diximus spectari; id quod probe perspexit alius quidam grammaticus ut opinor Symmachus παραλείπει δὲ ὅμως καὶ αὐτὸς, ὅτι οὐδὲν ἧττον παρὰ τὴν ὑπόνοιαν εἴρηται ἀντὶ τοῦ Κῷος Κῖος (Κεῖος leg. fr.) Aristarcheam scripturam iam Eustath. p. 1397, 40 p. 7462, 45 et Polluc. IX, 100 VII, 204. 205 ostendit Fritzschius l. l. p. 230; idem p. 229 veterum testimonia de illius proverbii usu et significatione diligentissime composuit p. 229 et de ipsius Theramenis vita et moribus usque ad p. 235 tam egregie disputavit, ut fundamenta disputationis a Niebuhrio [1]) desideratae iecisse putandus sit. Textui genuinam scripturam iam dudum restituit Dindorfius in annotatione tamen nimis confisus Heindorfianae explicationi ad Plat. Protag. p. 577.

Aristarchum ad proverbia, quae adhibeantur ab Aristophane attentum iisque ad elegantem poetae explicationem utentem praeter locos hactenus consideratos cognoscas ex schol. equ. 1279: ὅστις ἢ τὸ λευκὸν: Ἀρίσταρχος· παρὰ τὸ λεγόμενον ὅστις οἶδε τὸ λευκὸν ἢ τὸ μέλαν.

At non solum in singulis vocibus rimandis criticum Aristarchi acumen versatum est, verum etiam id quod de Homero res est decantata, ad integros versus utpote Aristophane indignos obelo notandos sese convertit. Cuius rei luculentum

---

1) Vorlesungen über griech. Geschichte Bd. II p.

testimonium habemus schol. Ran. 1437: *εἴ τις πτερώσας*: *Ὡς λεπτὸς σφόδρα ὢν κωμῳδεῖται καὶ ὡς ξένος καὶ ὡς κόλαξ. ἐμνήσθη δὲ καὶ τοῦ Κινησίου ὡς τούτου καὶ τοῦ Κλεοκρίτου ὁμοφρονούντων· ἀθετεῖ δὲ τοὺς πέντε ἐφεξῆς στίχους ἕως τοῦ „ῥαίνοιεν εἰς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων“ Ἀρίσταρχος, ὅτι φορτικώτεροί εἰσι καὶ εὐτελεῖς, διὰ τοῦτο ὑποπτεύονται. Ἀπολλώνιος δὲ οὐ διὰ τοῦτο ἀλλ' ὅτι οὐ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ἔχουσί τι. ἐρομένων δὲ αὐτῶν ἑκάτερος μίαν γνώμην λέγει*, — ad v. 1440 schol. Ven. — *ταῦτα δὲ ἠθετημένα μετρίως ἄν τις νομίσειεν ἐνδιεσκευάσθαι. καὶ γάρ ἐστι φορτικά. τὰ δὲ ἑξῆς κείμενα πρέποντα καὶ τῷ ποιητῇ καὶ τῇ ὑποθέσει* — et ad v. 1452 schol. Ven.: *ταυτὶ πότερ' αὐτός*: *Συναθετεῖται τοῖς ἄνω καὶ οὗτος. μένων γὰρ ἀκυροῖ τὴν ἐκείνων ἀθέτησιν, ἐν ᾗ φαίνεται τὰ μὲν πρότερα Αἴσχυλος λέγων τὰ δὲ ἑξῆς Εὐριπίδης* [1]). Tragicorum enim certamine finito, uter rei publicae magis prodesse possit, Baccho quaerendum videtur, cuius interrogationi v. 1435 sq.: *ἀλλ' ἔτι μίαν γνώμην ἑκάτερος εἴπατον περὶ τῆς πόλεως ἥντιν' ἔχετον σωτηρίαν* primus respondet Euripides v. v. 1437. 28: *εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα* tum Bacchi verbis *γέλοιον ἂν φαίνοιτο· νοῦν δ' ἔχει τίνα* interpositis pergit v. v. 1440. 41: *εἰ ναυμαχοῖεν, κᾆτ' ἔχοντες ὀξίδας ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων*. Quos versus revera Euripidi ab Aristophane tributos esse vel illud fidem adimit, quod ipse Euripides v. 1442 formula loqui incipientium: *ἐγὼ μὲν οἶδα* orditur. Quapropter non mirum, iam Aristarchum et Apollonium hos versus obelo notatos spurios indicavisse, quibus additum esse v. 1452 53 ex schol. ad h. l. intelligitur, quos omnes non Aristophani sed primarum aetatum criticis tribuit, id quod ex schol. v. 1440 verissime concludit Fritzschius, a

---

1) E quibus sequitur fuisse, qui v. 1437 et 48 atque 1440 et 2441 Aeschyli tribuerent. Quas personarum turbas fontem habere communem, quod v. 1442 nova persona verbis *ἐγὼ μὲν* loqui incipere videatur, scite monuit Fritzschius l. l. p. 435.

quibus non solum Homerum sed etiam Aristophanem integris interdum versibus donatum esse iam supra vidimus luculento cognominis grammatici exemplo. Recentiorum criticorum Aristarcho assensi sunt Bentl. Kusterus Brunckius Welckerus et reiecta pristina sententia Hermannus; probavit etiam Aristarchi iudicium Lehrsius de Arist. stud. hom. p. 348. Quam Dindorfius de fragm. Aristoph. p. 35 novam medelam se excogitavisse gloriatus est versibus continuis 1436. 1442 sqq. expunctis versibus 1437—41 et versibus 1452. 53 primae Ranarum editioni contra v. v. 1436—41 expunctis v. v. 1442—50 secundae tribuendis, prorsus eam iam dudum Fritzschius qu. Arist. p. 112 refutavit professus Ranas nihil vel paullum aliquid mutatas postridie eius diei Aristophanem repetivisse, id quod copiosius explanavit comm. ad Ran. p. 438. Attamen versus illos suspectos servari posse, si ab Euripide in Bacchum transferantur, ingeniose, ut mihi videtur demonstravit Fritzschius l. l. p. 435. Sed argumentorum quae attulit ad hanc mutationem commendandam valde improbo id, quod Euripidem unicam sententiam proferre iussum non posse duas proponere dicit; ipsum enim consilium quod flagitatur a Baccho, nondum protulit; gravissimum autem est illud ex ipsa iocorum scurrilitate repetitum Euripidis persona indignissimorum Bacchi moribus admodum convenientium. Neque minus sollerter excogitata sunt, quae deinceps disputat vir doctissimus: „Deinde v. 1453 *τὰς δ' ὀξίδας Κηφισοφῶν* ipse Aristophanes docuit, quae de acetabulis supra dicta sunt, ea non alium ullum nisi novum Cephisophontem, id est Bacchum protulisse. Denique Bacchus Euripidem etiam supra v. 1399 sq. inscite adiuvit. Iam dudum enim vidit premi Euripidem laborare atque in eo esse, ut ab Aeschylo vincatur. Quod nisi Bacchus v. 1437 sq. Euripidi ingenium suum suppeditasset vix ita quaesivisset ex Euripide v. 1452 *ταυτὶ πότερ' αὐτὸς εὗρες ἢ Κηφισοφῶν.*" Itaque v. 1435—38. 1440. 1441 Baccho tribuendos ratus, nimis abruptam eo factam esse orationem statuit, quod post v. 1436 unus exciderit versiculus veluti: *Εὐρ. ἄγε δὴ τίς ἔσται*

μηχανή; Δῖα καὶ δὴ φράσω· εἴ τίς κτλ., qualis est sermonis conformatio supra v. 1399 Thesm. v. 799. Avv. 1647. Hoc modo et Aristarchi acumini, qui vulgatae scripturae vitia probe perspexerit et verecundiae nimiam mutandi audaciam detrectanti optime satisfactum videtur esse.

Postquam igitur perspeximus, etiam ad Aristophanis versus spurios notandos Aristarchei obeli usum pertinuisse, ultro ad duos alios scholiorum locos disputationis ordine deferimur, qui alias quoque notas criticas ad Aristophanis comoedias eum adhibuisse demonstrent. Praecedat schol. cod. G. bibl. Marc. 485, adscriptum Pluti v. 3.: *τὸ ἢν ἀπόστροφον λαμβάνει, ὅ ἐστιν ἀντίστροφον. ἔστι δὲ ὥσπερ καὶ ἄλλως τουναντίον δρῶν. καὶ τοῦτο γὰρ ἀντίστροφον δέχεται. ἔστι γὰρ τὸ ἐναντίον δρῶν. ἡ δὲ ἀπόστροφος ἀντίστροφος καλεῖται. Ἀρίσταρχος γὰρ τοῦτο σημειοῦται. ὅ ἐστι παρ' ἡμῖν ἀπόστροφος, ἀντίστροφος αὐτῷ καλεῖται.* V. *σημειοῦσθαι* quum constet de criticorum notarum usu peculiarem vocem esse, de qua cf. Villoison. praef. ad schol. Ven. Iliad. p. XVIII Lehrs. de Arist. st. h. p. 16, discimus ex hoc scholio, Aristarchum v. 3 notam quandam apposuisse vulgo *ἀπόστροφον* ab ipso *ἀντίστροφον* nominatam qua significet, inesse oppositas inter se orationis partes h. l. expressas verbis: *ἢν τὰ βέλτιστ' ὁ θεράπων λέξας τύχῃ, δόξῃ δὲ μὴ δρᾶν τοῦτο τῷ κεκτημένῳ.* Alia de hoc signo veterum testimonia, si quae exstant, mihi non innotuerunt; quid denotet ipse hic locus abunde docet.

Sequatur nunc alterum notarum criticarum ab Aristarcho profectarum in ipsis scholiis Aristophaneis vestigium, schol. Ven. Av. 76. *Φαληρικὰς ἀφύας: Πληθυντικῶς λέγουσι τὰς ἀφύας Ἀρίσταρχος δὲ οὐκ ἀποδέχεται πληθυντικῶς. διὸ τὸ X.* De ipsa hac observatione grammatica iam supra vidimus (p. 48), nunc de notae *X* significatione pauca addenda sunt, quam h. l. positam esse apparet, quoniam v. *ἀφύη* h. l. insolentius singulari numero Aristarcho positum videbatur. Qualemcunque vero vel verborum vel sententiarum vel rerum

insolentiam X littera notatam esse multis scholiorum exemplis docemur. Grammatica quaedam insolentia significatur schol. Nub. 518: ἐρχῆν δὲ τὴν λέξιν ὑπὸ τοῦ χ σημειοῦσθαι. ἐχρήσατο γὰρ μετοχῇ ἀντὶ ὀνόματος v. 562: εὖ φρονεῖν: παρ' ὑπόνοιαν. δεὸν γὰρ εἰπεῖν ἐλεύσεσθε ἐπήνεγκεν ὅτι φρόνιμοι δόξετε εἶναι καὶ εὖ φρονοῦντές μοι. διὸ ἐπισημειοῦσθαι τὴν λέξιν ἔδει τὸ χ v. 798 cod. Ven.: ὅτι δὲ ὕαλος θηλυκῶς καὶ διὰ τοῦ α διὸ τὸ χ v. 817: τοῦ δὲ Δία τὸ α ἐκτείνεσθαί φησι Σύμμαχος Ἀττικῶς, ἐνδεῖ δὲ τὸ χ. schol. Ven. Ran. 35: Τὸ χ ὅτι κατάβα φησί. πρὸς τοὺς ἀξιοῦντας ὅτι κατάβηθι λέγεται μόνως. Av. 107: νὼ βροτώ: Πρὸς τὴν παράθεσιν τῶν λέξεων ὅτι ἐκ παραλλήλου ἡ διαφορὰ δηλοῦται. τὸ δὲ χ πρὸς τὸ συνεχὲς τῶν δυϊκῶν Avv. 204: cod. Ven. Ἐν σχήματι εἴρηκεν ἀπὸ ἑνικοῦ εἰς τὸ πληθυντικόν. καὶ πρὸς τὸ σχῆμα τὸ χ; peculiarem loquendi usum indicat schol. Ven. 1489: πῖθ' ἐλλέβορον: Ἐπισημειοῦνται τὴν λέξιν κἀνταῦθα τὸ χ ὅτι τὸ μὲν πῖθι ἐπὶ φαρμάκου λέγουσι — τὸ δὲ πίε ἐπὶ τοῦ ποτοῦ. schol. Ven. Plut. 862: ἐπισημήνατο δὲ τὴν λέξιν συνήθως τὸ χ ἐπειδὴ μὴ ἐπὶ νομισμάτων τὸ κόμμα εἴρηκεν schol. Ven. Ran. 549: οὕτως ἀν' ἡμιωβόλιον ἀνθημιωβολιαῖον, δηλοῖ δὲ ἡμιωβόλου ἄξια. ἐπισημειοῦσθαι δὲ τὴν λέξιν ἔδει τῷ χ cum hoc. cf. schol. Cant. 2. schol. Ven. Ran. 621: τὸ δὲ χ πρὸς τὸ ἔθος τοῦ τύπτειν. οἱ δὲ ὅτι διώρισται τὸ πράσον ἀπὸ τοῦ γητείου. schol. Ven. Nub. 965: κωμήτας: Τὸ χ ὅτι κωμήτας τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἀμφόδου καὶ τόπου ἔλεγεν. Versus ad alius poetae imitationem compositi indicantur schol. Ven. Av. 1372: ταῦτα παρὰ τὰ Ἀνακρέοντος — διὸ καὶ τὸ χ ἔχουσιν οἱ δύο στίχοι, fictum et fabulosum nomen haec nota prodit schol. Vesp. 1177: πρῶτον μὲν ὡς ἡ Λάμια: Ὅτι οὐκ οὖσαν τὴν Λάμιαν ὑποτίθεται διὸ τὸ χ (Ven.) τοῦτο δὲ ἐν μύθῳ λέγεται. Eundem fere huius notae usum in Platonicis libris fuisse docet Diog. Laert. libr. III segm. 95 ed. Meib.: χ λαμβάνεται πρὸς τὰς λέξεις καὶ τὰ σχήματα quod quid significet optime perspexit Casaubonus ad l. l.: „quas? nempe eas, quae vel novae essent (nam Plato non paucas

primus usurpavit) vel elegantius vel paullo audentius translatae aut alia ratione notatione dignae, quare λέξεις posuisse videtur pro λέξεις πεποιημένας aut ἐσχηματισμένας et σχήματα fortasse vocat τὰς τῆς διανοίας figuras κατ' ἐξοχήν. Graeci interpretes utuntur verbis διὰ τὸ χ quum aliquid reprehendunt, aut cuiusdam vocis seu locutionis novitate et insolentia offenduntur. Est igitur χιασμοῦ et deculpati loci nota." Ab hoc simplici χ accurate χ περιεστιγμένον secernit Diog. Laert. l. l.: .χ. περιεστιγμένον πρὸς τὰς ἐκλογὰς καὶ καλλιγραφίας cf. Menag. ad h. l. Bast. comm. pal. p. 849, de quo hoc loco non attinet copiosius disputare.

CAPUT V.

In rebus historicis pertractandis quid praestiterit.

Pergendum nunc est ad eas Aristarchi observationes quae vel ad personas a poeta exagitatas pertinent, vel in temporis, quo docta esset comoedia aliqua conditione describenda versantur, quarum exempla quum pauca sunt numero servata tum non admodum feliciter in hoc quaestionum genere ad comoediae interpretationem gravissimarum eum versatum esse demonstrant. De quibus erroribus iniquius iudicemus eo cavetur, quod etiam clarissimos grammaticos parum curiosos talibus in rebus et ad verborum explicationem sententiarumque connexum perspiciendum unice attentos gravissima peccata commisisse videmus, quibus non raro accidit ut interpretationis speciose excogitatae nimis cupidi temporum rationes num apte cum ea convenirent parum saepenumero curarent. Accedit, quod semper in memoriam sibi revocare debet, qui ex paucis undique collectis amplissimae doctrinae frustulis ipsius hominis imaginem sibi reconstruere

conatur non confidentius progrediendum esse raris, quae caeca quaedam fortuna servavit vestigiis semperque reputandum, quam misere laceratae decurtatae corruptae quamque lutulentis scholiorum rivulis ad nos permanaverint doctissimorum grammaticorum observationes.

Iam quod primum ex hoc genere consideramus schol. Ven. Ran. 320, si recte interpretatus est Fritzschius l. l. p. 182 summae oscitantiae opprobrium Aristarchus effugere non potest, quippe qui somniatus sit ipsis Aristophanis Ranis Athenienses ad psephisma illud, quo Diagoras expelleretur scribendum instigatos esse, id est Diagoram Melium post Ol. 93, 3 Athenis profugisse. Quod si revera Aristarchus dicere voluit, multo gravius in temporum ratione peccavit quam Diod. Sic. XIII, b, quem fabulantem, Diagoram Ol. 91, 2 ex Attica expulsum esse refutavit Fritzschius l. l. p. 180 Diagoraeque aetatem Ol. 78 attribuit Suidae v. *Διάγορας* et scholiastae ad h. l. testimoniis usus. Sed videndum, num leviter scholio emendato criticorum princeps turpissimi erroris crimine liberari possit. Fac enim paullo inversum verborum ordinem sic restituendum esse cod. Ven.: *ὅνπερ Διαγόρας: Διαγόρας μελῶν ποιητὴς ἄθεος, ὃς καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγεῖτο ὥσπερ Σωκράτης, ὅθεν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ὡς διαχλευάζοντος τοὺς θεοὺς καταψηφισάμενοι ἀνεκήρυξαν τῷ μὲν ἀναιρήσαντι ἀργυρίου τάλαντον, τῷ δὲ ζῶντα κομίσαντι δύο, ἔπειθον — ψηφισμάτων. καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος Διαγόρου νῦν μνημονεύειν φησὶν οὐχ ὡς ᾄδοντος αὐτοῦ τοὺς θεούς, ἀλλ' ἐν εἰρωνείᾳ κειμένου τοῦ λόγου ἀντὶ τοῦ χλευάζοντος ἐξορχουμένου. ἀνακινεῖ οὖν τοὺς Ἀθηναίους ὁ κωμικός.* Qua transpositione accepta de iis solis scholii verbis, quae extremo loco scripsimus recte explicandis agitur, quae ut ita interpretemur, uti Fritzschio videbatur, nulla cogimur necessitate verbis *ὅθεν καὶ Ἀθηναῖοι κτλ.*, quae maxime illum sensum commendarent transpositis. Atque quum observasse perhibeatur Aristarchus non verbotenus illud de Diagora dictum accipiendum esse (*Διαγόρου νῦν μνημονεύειν φησὶ οὐχ ὡς ᾄδοντος αὐτοῦ τοὺς θεούς*) sed

per ironiam quandam poetam aliud spectasse, quam ipsa verba obiter intuenti indicarent, sponte apparet in mystarum choro, qui sese appropinquat irridendo Xanthiae iocum positum esse. Quo choro ipsum Atheniensium populum mysteria Eleusinia celebrantem tangi post Welckerum exposuit Odofr. Muellerus. Dicit igitur Xanthias Athenienses deos eadem levitate a vero pietatis affectu aliena celebrare atque Diagoram. Quem sensum optime perspectantem Aristarchum explicandi causa addidisse puto: ἀνακινεῖ οὖν τοὺς Ἀθηναίους h. e. exagitat [1]) igitur Athenienses cum Diagora eodem levitatis opprobrio coniunctos.

At vero quo crimine vix Aristarchum liberasse videmur in idem relapsum se praebet in Ran. v. 1422 explicando a quo ne argutissimus quidem causidicus eum defendere poterit. Hoc enim est scholiastae Veneti testimonium: Ἄνδρων δὲ διαφέρεται πρὸς Ξενοφῶντα περὶ τῆς καθόδου. Καλλίστρατος δέ φησιν ὅτι οὗτος ἦν ὁ καιρὸς, καθ' ὃν ἐκπεσὼν ἐν Λακεδαίμονι διατρίβων ἔπεισε Λακεδαιμονίους Ἀθηναίοις Δεκέλειαν ἐπιτειχίσαι. Insignem Aristarchi in temporum computatione errorem merito iam a veteribus grammaticis refutatum esse ex ipsis scholiis abunde perspicitur, quorum statim addit ipse Venetus: τελέως δὲ πταίουσι. λέγει οὖν περὶ τῆς δευτέρας ἀναχωρήσεως, ἣν ἑκὼν ἔφυγε idem perspexit Palmerius exc. crit. p. 775 et uberius explanavit Fritzschius l. l. p. 428 Alcibiadem Athenas rediisse archonte Euctemone d. XXV. mensis Thargelionis Olymp. 93, 1; priorem autem fugam in qua Spartae versatus, ut Deceleam munirent Lacedaemonios impelleret, in Olymp. 91, 2 incidisse. Sed Aristarchi errorem longe superavit eius negligentia, cuius sunt verba recta falsis mire confundentia: περὶ τῆς δευτέρας αὐτοῦ λέγει ἀναχωρήσεως ἣν ἑκὼν ἔφυγε, κατελθὼν μὲν ἐπὶ Ἀντιγένους πρὸ

1) Haec vocis ἀνακινεῖν significatio quum sponte se praebeat, quamvis nusquam alibi eam inveniri probe sciam, peculiari scholiastarum usui tribuenda esse videtur.

ἐνιαυτοῦ τῶν Βατράχων κτλ. Hoc enim Archonte tertio post reditum mense Ol. 93, 2 init. anno ante Ranas doctas Athenis in Andrum solvit et paucissimis mensibus post praetura se abdicavit suffectis in locum suum χ praetoribus; ipse sponte in Chersonesum abiit. Ineptiarum fastigium nactus est alius schol., incredibili inscitia omnia conturbans; Alcibiademque praetura abdicatum Antiocho gubernatore devicte Lacedaemonem abiisse somnians, ut Lacedaemonios ad muniendam Deceleam instimularet. Itaque socii erroris Aristarcho minime deerant.

Neque probabilior Aristarchi de Agathone sententia quam protulit ad Thesm. v. 31: explicandum teste scholiasta οἱ περὶ Ἀρίσταρχον καὶ Δίδυμόν φασιν εἶναι τοιοῦτον Ἀγάθωνα. Itaque Aristarchus et Didymus hanc Aristophanei loci interpretationem tradiderunt discipulis, ut Agatho niger robustus barbatus revera fuisse crederetur. Sed acute eos refellit alius doctissimus grammaticus, Symmachus ut opinor, eo quod non fuerit talis, qualem describat eum perstringens Aristophanes. Alterum quendam Agathonem fortem virum barbatum nigro etiam colore insignem num unquam exstiterit sobrie dubitat Fritzschius l. l. p. 13.

Hoc observationum genere, cuius quae certo ad Aristarchum referri possint plura exempla non repperi, absoluto ad ea nunc transeamus, in quibus versus tragicorum a comico vel castigatos vel ad ridiculum detortos scite indagasse intelligitur, quam operam prae ceteris in se collocandam flagitavit ea Ranarum pars, in quibus Aeschylus et Euripides poetico certamine instituto versibus ex utriusque tragoediis depromtis vicissim sese lacessunt et de principatu contendunt. Huc pertinet schol. Ven. Ran. 1206: Ἄιγυπτος ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος: Ἀρχελάου αὕτη ἐστὶν ἡ ἀρχὴ, ὥς ψευδῶς. οὐ γὰρ φέρεται νῦν Εὐριπίδου λόγος οὐδεὶς τοιοῦτος. οὐ γάρ ἐστι, φησὶν Ἀρίσταρχος, τοῦ Ἀρχελάου, εἰ μὴ αὐτὸς μετέθηκεν ὕστερον, ὁ δὲ Ἀριστοφάνης τὸ ἐξ ἀρχῆς κείμενον εἶπε. Namque v. 1206 ex Euripidei Archelai prologo petitum esse, in

Cantabr. I et marg. Barocc. annotatur. Sed falso illuc referri ii putabant, qui superstitem Archelai fabulam longe alio versu: *Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ — νόμον ἐθὴκ' ἐν Ἑλλάδι* incipere viderent. Rectam difficultatis tollendae viam monstravit Aristarchus. Coniecit enim vir acutissimus bis datam esse Archilochi fabulam atque Aristophanem eum, quem exagitaret versum ex prima recensione, depromsisse. Eodem modo duo quae perhibentur initia Phryxi inter se concilianda esse ex schol. Ven. Ran. 1238, et ex schol. Eurip. Phoen. v. 6 a Valcken. diatr. p. 216 recte colligitur, ut perspexi ex docta Fritzschii de prologis Euripideis propter ipsam comicorum irrisionem postea mutatis disputatione. Huius rei quae fuerit necessitas ultro patet reputanti, quam facile Athenienses Ranarum fabula eximie delectati ad Euripideam tragoediam ingenti risu obruendam poterant instimulari, si quis tragoediae spectator comicum illud *ληκύθιον ἀπώλεσεν* magna voce inseruisset. Prorsus geminus est locus Ran. 1400 ubi haec schol.: *Ἀρίσταρχός φησιν ἀδεσπότως τοῦτο προφέρεσθαι ὡς Εὐριπίδου πεποιηκότος κυβεύοντας ἐν τῷ Τηλέφῳ οὓς καὶ περιεῖλε.* Aristarchus igitur, quum versus ille apud Euripidem non amplius legeretur exposuit Euripidem in prima quidem Telephi editione Achillem aliosque heroas tesseris ludentes inepte finxisse, sed in altera recensione totam istam scenam acerbissimis comicorum cavillationibus merito exagitatam delevisse. Aristarchi de hoc loco disputationem praeterea servatam esse a Zenobio II, 85 monuit Fritzschius comm. ad Ran. p. 425. Eust. p. 1397, 19 Phot. p. 602, 8 comparare iubet Dubnerus p. 537. edit. Paris., quos locos cum alio Eust. p. 1084, 2 exscripsit Fritzschius l. l.

Aristarchum in simili quaestione occupatum ostendit schol. Ran. 1270: *κύδιστ' Ἀχαιῶν· Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος, ἐπισκέψασθε πόθεν εἰσί. Τιμαχίδας δὲ ἐκ Τηλέφου Αἰσχύλου, Ἀσκληπιάδης δὲ ἐξ Ἰφιγενείας.* Itaque Aristarchus et Apollonius in suspenso reliquerunt, ex quanam Aeschyli tragoedia petitus sit versus: *Κύδιστ' Ἀχαιῶν Ἀτρέως*

πολυκοίρανι. Quam dubitationem etiam ad v. 1274: εὐφαμεῖτε μελισσονόμον δόμον ex plurali numero: ἐπισκ. πόθεν εἰσὶ recte concludit Fritzschius [1]).

De singulari autem forma, qua hoc scholium expressum est pauca addenda videntur. De qua Schneiderum prorsus fefellit opinio sophisticos flosculos nescio quos in ea odorantem, quem orationis fucum cum hypomnematis scriptore Symmacho communem esse statuit propter. schol. equ. 979: ἐν τῷ δείγματι τῶν δικῶν: Σύμμαχος ἐπισκέψασθε τί δή ποτέ ἐστι τὸ δεῖγμα τῶν δικῶν. παρεῖται γάρ φησι εἰ μὴ τὸ δεῖγμα τόπος ἐστὶν ἐν Πειραεῖ, ἔνθα πολλοὶ συνήγοντο ξένοι καὶ πολῖται καὶ ἐλογοποίουν κτλ. quod cum verbis schol. Plut. 1037: τοῦτο τί ἐστιν οὐκ οἶδα· ὅτι δὲ συμβάλλεται οἶδα prorsus nullum habere patet similitudinis vinculum, quam tamen referunt alia eiusdem scholii verba: ἔχει δὲ καθ' ἑαυτο ἄπορον· ἐὰν δὲ καὶ τὸ ἐν Μαρικᾷ προσέλθῃ, ἔνθα εἰς τηλίαν φησὶ τὰ τοῦ Ὑπερβόλου ὀστᾶ ἐμβεβλῆσθαι ἀπορώτερον ἔσται· ζητητέον οὖν [2]) quocum compares schol. Thesm. 80: τοῦτο τῶν ζητουμένων

1) Eidem prorsus assentior schol. sic emendanti: Κύδιστ' Ἀχαιῶν: Ἀρ. καὶ Ἀπολλ. πόθεν εἰσὶ. Τιμαχ. δὲ ἐκ Τηλέφου Αἰσχύλου, Ἀσκλ. δὲ ἐξ Ἰφιγενείας εὐφημεῖτε μελισσονόμοι lemmate sequentis scholii librarii cuiusdam inscitia cum antecedentis fine confuso. Quod autem e silentio scholiastae ad v. 1274 repetit argumentum concidit Rav. Venetique verbis ἐξ Ἱερειῶν Αἰσχύλου optime confirmatis cod. Reg. scholio, cuius cognoscendi copiam fecit Dübnerus: Τοῦτο ἀπό τινος λέγεται πρός τινας διάγοντας ἔν τινι ἄλσει πλησιόν ὄντι ναοῦ τῆς Ἀρτέμιδος, ἵν' εἴπωσιν οὕτω τῷ νεωκόρῳ ἀνοίγειν. ἔστι δὲ ἀπὸ τοῦ δράματος Αἰσχύλου τῶν Ἱερειῶν.

2) Quaestionem hic propositam ingeniose solvit Fritzschius Act. soc. gr. I p. 134: „Recte et prior grammaticus prodit Maricantis parentem cum τηλίᾳ comparatam esse et magis enucleate alter docet, Maricantis ossa in τηλίαν fuisse iniecta dici. Nam Eupolis Doco pistricem cum τηλίᾳ sic comparaverat ob pinguitudinem, ut ossa Hyperboli in hanc tabulam (τηλίαν) iniectam fuisse ostenderet eo scilicet tempore, quo illa foetum conceptum in utero gestasset. cf. Schneider. de font. sch. p. 28.

ἐστί πως καὶ τρίτην καὶ μέσην εἰπεῖν. ια' γὰρ ἄνοδος, εἶτα ιβ' νηστεία, εἶτα τρισκαιδεκάτη καλλιγένεια, ὥστε μέση μὲν εἶναι δύναται, τρίτη μὲν οὔ ἀλλὰ δευτέρα — ἡ λύσις οὖν ἥδε. δεκάτῃ ἐν Ἁλιμοῦντι Θεσμοφόρια ἄγεται, ὥστε τρίτην μὲν ἀπὸ δεκάτης ιβ' εἶναι μέσην δὲ μὴ συναριθμουμένης τῆς δεκάτης κτλ., quod statim in memoriam revocat ea exempla lyticarum et enstaticarum grammaticorum quaestionum, quas permultas composuit Lehrs. de Arist. stud. hom. inde a pag. 200. Quorum operam ne Aristophani quidem defuisse praeter schol. Thesm. 80 quod modo adscripsimus, docent duo alia insignia documenta, ex eodem cod. Rav. prolata unum ad Thesm. 1175: βαρβαρικὸν καὶ Περσικὸν ὄρχημα ὄκλασμα καλεῖται, περὶ οὗ Ἰόβας μακρὸν πεποίηται λόγον ἐν τοῖς περὶ τῆς θεατρικῆς ἱστορίας, ὥστε λελύσθαι τὴν Σελεύκου πρότασιν, προτείνει γὰρ ἐν τῷ πρὸς Ζήνωνα προτατικῷ τὸ Περσικὸν ὄρχημα alterum ad Thesm. 840: πολλάκις εἶπον ὅτι προβάλλει ὁ Ὁμηρικὸς ἐν τῷ πρὸς Πολύβιον προτατικῷ τίς ἡ Ὑπερβόλου μήτηρ [1]. οὐκ ἔχομεν δὲ εἰπεῖν. εἰ δὲ χρὴ τὰ τοιαῦτα ζητεῖν ζητείτωσαν καὶ τὴν ἑξῆς τὴν Λαμάχου· τὸν γὰρ πατέρα μόνον οἶδα Λαμάχου Ξενόφαντον. Quae facile suspiceris eiusdem sobrii viri atque in melioribus exquirendis occupati esse, cum molestos argutiarum scrutatores aspernatur atque eludit, quem ad Il. β, 494 percontantibus, cur in recensu navium a Boeotis potissimum initium fecerit Homerus respondisse legimus hoc modo: ἦρκται δὲ ἀπὸ Βοιωτῶν κατὰ μὲν Ἀρίσταρχον οὐκ ἔκ τινος παρατηρήσεως et in altero scholio: ὁ δὲ Ἀρίσταρχός φησι κατὰ ἐπιφορὰν αὐτὸν τὴν ἀρχὴν ποιήσασθαι· εἰ γὰρ καὶ ἀπ' ἄλλου ἔθνους ἤρξατο, ἐζητοῦμεν ἂν τὴν αἰτίαν τῆς ἀρχῆς cf. Lehrs. de Arist. p. 212. Nam quominus Aristarchus ad Seleuci προτάσεις respondisse censendus sit, non impedit, quod eum sub Tiberio floruisse contendit Menag. ad Diog. Laert. III, 109

1) Hanc quaestionem solvisse sibi videtur Bergk comm. de rel. com. Att. p. 310. cf. Fritzsch act. soc. Gr. I p. 127.

cui iusto citius adsensus est Rankius de vit. Aristoph. CLXXIX not. 61; Augusto enim antiquiorem eum fuisse ex eo efficitur, quod in scholio quod supra tractavimus ad Thesm. 1175. Iuba regum doctissimus Augusti aequalis Seleuci προτάσεις solvisse narratur, cuius aetatem quo certius definiam non habeo. Sed ut redeat unde digressa est disputatio ad schol. Ran. 1270. comparanti cum eo schol. equ. 979, quod supra descripsimus maximeque schol. Ven. Ran. 791: Κλειδημίδης: Καλλίστρατος ὅτι ἴσως Σοφοκλέους υἱὸς οὗτος. Ἀπολλώνιος δὲ ὅτι Σοφοκλέους ὑποκριτής. τοῦτο δὲ πόθεν, σκέψασθε. διαβάλλει δὲ καὶ Κλειδημίδην ὡς κακόξενον (κακοξύνετον Fritzsch. ad h. l. et schol. Av. 884: Ἐπισκεπτέον περὶ τούτων ἐκ τῆς τῶν ζῴων ἱστορίας, τίς ὁ τέτραξ καὶ φλέξις καὶ ἐλασᾶς, sponte apparet, ad eidem προτάσεων et λύσεων genus illas loquendi formulas referendas esse. De quo quamquam non honorifice iudicasse veteres grammaticos ex iis, quae inde a pag. 210 Lehrsius disputavit manifestum sit, tamen tantum abest, ut una cum invalescente accurata Alexandrinorum scientia diligentique poetarum interpretatione abiectum planeque exstinctum sit, ut et Alexandriae retenti tractatique et postea Romae aliisque studiorum deversoriis graviter culti ad ultima saecula propagati sint tales ingenii lusus. Neque ipsum Aristarchum in Homerica interpretatione eos plane detrectasse, quamquam minime in iis gloriolam quaesiverit demonstrat Lehrs. l. l. p. 211 sq. quo minus eos neque in Aristophane neglexisse putandus est si forte ad utilem observationem ansam praeberent; id quod maxime in hunc locum Thesm. 80, equ. 979 cadere ultro patet, quamquam eae quae scholiis Thesmoph. 1175 et maxime 840 continentur προτάσεις et λύσεις ad poetam intelligendum riteque interpretandum haud multum commodi habeant. De horum grammaticorum in nominibus ignotis rimandis gnara sedulitate nonnulla contulit Bergkius comm. de rel. com. att. p. 309, at intimas huius moris causas et rationes diligentissime perscrutatus est Lehrs. de Aristarchi stud. hom. diss. II cap. IV inde a pag. 200.

Priusquam ad alia transeamus adscribatur hoc loco Aristarchi observatio satis ieiuna, quam num ab Aristophaneas fabulas an alibi protulerit nescio: schol. Ran. 1124 *ἐξ Ὀρεστίας Τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρέστειαν αἱ διδασκαλίαι Ἀγαμέμνονα, Χοηφόρους, Εὐμενίδας, Πρωτέα σατυρικόν. Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος τριλογίαν λέγουσι χωρὶς τῶν σατυρικῶν.* Restant tres Aristarchi observationes, quarum duae ad prosodiam, quam Graeci dicunt, tertia ad rem metricam spectat.

Quae ad prosodiam spectat utraque de accentibus agit; altera legitur in schol. equ. 487: *κραγὸν κεκράξεται: Ἀρίσταρχος ὀξυτόνως ἀντι τοῦ κραυγαστικῶς. καὶ Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ προσῳδιᾳ*, optimum sane praeceptum, altera ex Aelii Dionysii fragmento innotuit, quod servavit Eust. ad Il. XXIII p. 1401, 23: *περὶ ἧς δόχμης' Αἴλιος Διονύσιος φησὶν οὕτως· Δόχμη τὸ τετραδάκτυλον· Ἀρίσταρχος δὲ ὀξύνει· ὡς δηλοῖ ὁ κωμικὸς ἐν τῷ· οὕτως ἀφεστήκασα πλεῖν ἢ δύο δοχμά. Ἐν μέντοι φησὶ τοῖς ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις ὀξεῖα ἐπικεῖται τῇ πρώτῃ συλλαβῇ κατὰ τὸ λόχμη, ὄχθη, ὄχνη. Ἕτερος δέ τις λέγει (καὶ αὐτὸς* Bergk.) *ὅτι δόχμη ἔχθη καὶ στάθμη κατὰ Τρύφωνα εἰ καὶ Ἀρίσταρχος ὀξύνειν ἀξιοῖ Παυσανίας δὲ εἰπὼν καὶ αὐτός, ὅτι δόχμη τὸ τετραδάκτυλον ἐπάγει Κύπριοι δὲ τὴν παλαίστην.* Comici nomen, quamquam non semper de Aristophane accipiendum, si antiquiorum grammaticorum observationes ab Eustathio excitantur monuit Bergkius comment. de reliq. com. att. p. 264 tamen hoc loco non adest idonea causa cur non ad ipsius Aristophanis Equ. v. 318 *καὶ πρὶν ἡμέραν φορῆσαι μεῖζον ἢ δυοῖν δοχμαῖν* hanc annotationem pertinuisse statuamus, ad quam v. *δοχμή* prosodiam confirmandam Cratini exemplum addiderit ex negligentiore quadam editione, quales Aristarchi tempore manibus terebantur solae depromtum, cui merito opponi potuissent *οἱ ἀκριβέστεροι ἀντίγραφοι* a posterioribus grammaticis velut. Euphronio curati. Certo illo Equitum loco accentum v. *δοχμαῖν* ex Aristarchi indicio positum esse non fugit Bergkium l. l.

Ad artem metricam Aristophanis illustrandam quid contulerit Aristarchus uno tantum constat luculento exemplo, quod tamen turbae scholia ingressae diu obscurarunt, quas Fritzschii sagacitas felicissime dissolvit ut perspiciatur, etiam in hoc studiorum genere gloriam aliunde comparatam Aristarchum tueri. Ex vulgari enim schol. Ran. 354 interpretatione Aristarchus carmen illud anapaesticis tetrametris conscriptum non uni hierophantae tribuendum sed inter singulas chori personas distribuendum esse statuit. Quod commentum merito explodit Fritzschius de carm. Aristoph. myst. p. 50 sq. Sed idem hanc certissimam medelam (comm. in Ran. p. 188) invenit, hoc scholium falso ad v. 384 relatum potius v. 372 hunc in modum adscribendum esse: *χώρεο: Ἀρίσταρχος ἀπὸ τούτου λέγει τὸν χορὸν μεμερίσθαι εἰς μερικὰ ἀνάπαιστα, ἀλλ' ἔμβα* (sc. 377) *ἀλλ' ἀμείβεσθαι τὸν ἕτερον χορόν. καὶ τί ἄρα συνεῖδεν ὁ Ἀρίσταρχος; δύναται δὲ καὶ ἓν σύζυγον εἶναι τὸ λεγόμενον* (sc. v. 372—81) *πολλαχοῦ δὲ μεμερίσθαι καὶ εἰς διχορίαν τὸ λοιπὸν* (sc. inde a versu 384) *ὥστε εἰς δώδεκα καὶ δώδεκα διαμεμερίσθαι* Itaque recte indicare Aristarchum v. 372 sq. non totum chorum concinere, sed v. 377 *ἀλλ' ἔμβα* alterum chorum respondere, i. e. stropham esse v. 372—77, antistropham autem v. 377—81; et schol. ad v. 372 falso tractum, ad v. 377 pertinere, vidit quo optime confirmatur Aristarchea de carminis distributione sententia.

VITA.

Natus sum ego *Henricus Rudolphus Theodorus Oscar Gerhard*, anno huius saeculi XXVI. Streliciae qui est Silesiae vicus prope Olsnam situs, patre *Ernesto Henrico*, quem praematura morte decem abhinc annis mihi ereptum lugeo, matre *Amalia* e gente *Andretzky*. Auctumno a. 1836 patrui Vratislaviensis educationi traditus inter gymnasii Elisabetani, quod Vratislaviae floret, discipulos receptus sum. Qua schola usque ad vernum tempus a. 1842 frequentata orphanotrophei Halensis alumnus scholae latinae secundo ordini a Viro Summo *Fr. Aug. Ecksteinio* adscriptus sum, cuius egregia institutio insigni litterarum antiquarum amore me imbuit. Ineunte hieme a. MDCCCXLV maturitatis testimonium nactus universitatis Fridericianae Halensis prorectori *Ed. d'Alton* dextram dedi. Ibi *Bernhardyi*, *Meieri*, *Rossii* V. V. Cl. philologicas et archaeologicas, *Leonis* et *Danckeri* historicas, *Erdmanni* et *Schalleri* philosophicas scholas adii, et a *Bernhardyo* inter seminarii philologici socios benevole receptus sum, cuius exercitationibus per annum interfui. Halis per triennium versatus Bonnam me contuli ut tandem explerem diuturnum desiderium et apud *Loebellium* almae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae rectorem magnificum nomen professus sum, ubi a *Welckero* et *Ritschelio* summa benevolentia legitimis seminarii philologici sodalibus adscriptus consiliis liberaliter adiutus et ipsorum scholas et *Brandisii*, *Loebellii*, *Schopeni*, *Bernaysii* frequentavi. Quorum omnium virorum pro egregiis in me meritis semper mihi grata erit pieque colenda memoria.

THESES.

1. *Euphronii grammatici interpretamentum apud schol. Plut. 904. hunc in modum restituendum est cod. Reg. beneficio:* Εὐφρόνιος φησὶν ὡς τῶν ἐμπόρων μὴ ἐξιόντων ἐπὶ τὰς στρατείας διὰ τὸ εὔχρηστον τὰ πρὸς τὴν τροφὴν φέρειν. τοῦτο ὁ συκοφάντης λέγει — ἀποκαλῶ. Ἄλλως. ὅταν, φησὶν, ἀνάγκη. — προφασίζομαι, φησὶν, ὅτι πέμπομαι εἰς τὸν πόλεμον. ἀζήμιοι γὰρ οὗτοι διαφυλάττοντο, ὡς φησὶν Εὐφρόνιος κτλ.
2. *Thuc. VII, 56, 3 frustra dubitat Kruegerus de verbis:* καὶ οὐδ' αὐτοὶ αὖ μόνον ἀλλὰ καὶ μετὰ συμβοηθησάντων σφίσιν κτλ.
3. *Thuc. VIII, 46, 2 rescribendum:* εὐτελέστερα δὲ τάδ' εἶναι (*vulg.* τὰ δεινὰ) βραχεῖ μορίῳ.
4. *Plat. Polit. p. 272. E contra Stallbaumium Sauppii emendat. defendo:* τοσαῦτα εἰς γῆς (*vulg* γῆν) σπέρματα πεσούσης κτλ.
5. *Liv. XXXII, 5 scribendum est: Macedonum animos sibi conciliavit quum Heraclidem, quem maximae invidiae sibi esse cerneret, multis cr. on. in vincula coniecit pro vulg. Macedonum animos sibi conciliavit cum Heraclide. nam quum eum m. inv. s. e. c. etc.*
6. *Virg. ecl. III post 108 unus versiculus excidit.*
7. *Theramenis quae vulgo vituperatur mobilitas patriae eius amori tribuenda est.*
8. *Eo tributorum genere, quae* εἰςφορὰ *dicitur, nemo unquam Atheniensium civium liber erat.*
9. *Male incipiuntur philosophiae studia a philosophiae historia.*